
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

QUAESTIONUM VITRUVIANARUM SPECIMEN

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT


GUALDEMARUS DIETRICH

LIPSIENSIS.

MISNIAE

TYPIS EXPRESSERUNT KLINKICHT ET FILIUS

MCMVI



RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE
LIPSIUS ET MARX

PROCANCELLARIO
MARX.

LIPSIAE D. XVIII. M. MAII MCMVI.

PARENTIBUS CARISSIMIS

Quicunque in Vitruvii decem de architectura libros studia contulerunt, vix in altera quaestione, quae ad Vitruvii opus et personam pertinet, viros doctos cum antea tum proximis annis tam elaborasse et desudasse sciunt quam in tempore, quo libros de architectura eum scripsisse et edidisse putant, definiendo; neque minus constat eos in sententias mirum quantum diversas discessisse et ne falsis quidem et ineptis argumentis pepercisse. Quod cum perspexissem, ipse quoque in ea quaestione studium collocavi eamque hoc quaestionum Vitruvianarum specimine — neque specimen solum est, sed caput omnium quaestionum Vitruvianarum — ad finem quendam perducere conabor; res autem ipsa hoc ipso tempore mihi videtur necessario retractanda esse, cum unoquoque fere proximi decennii anno aliquam dissertationem doctam in lucem prodiisse videamus, qua aut nova sententia profertur aut oblitterata denuo commendatur aut inveterata et vulgata opinio stabilitur, ut multi dubitent, in cuius sententiam discedant. Antequam autem ad rem ipsam accedo, breviter mihi enarrandum erit, quinam viri docti adhuc egerint de tempore, quo Vitruvius scripserit, atque quibus argumentis illi usi sint.

Quod si quis miretur, duae ei res sunt reputandae: primum quod Vitruvius neque ipse perspicuis verbis dicat, quando vixerit, neque imperatorem illum, cui opus suum dedicavit, ita alloquatur, ut omnis de eo dubitatio remota sit, deinde, quod nulla veterum scriptorum testimonia exstent, quibus tempus, quo vixit et scripsit, certe definiatur.[1])

1) Sunt autem testimonia pauca: Plin. in indicibus l. l. XVI, XXXV, XXXVI N. H. — Frontin. de aquis u. R. I 25 — Apoll. Sidon. epist. IV 3, 5. VIII 6, 10. — Serv. ad Aen. VI 43 — Tzetz. schol. in Lyc. Cass. II p. 919 Müller (cf. Reinesii var. lect. l. III p. 118. Vitr. VIII 3).

Quare cum memoria huius rei ab antiquis scriptoribus tradita non esset, argumenta ad aetatem eius cognoscendam ex ipsius operis accurata interpretatione petenda erant. Quod primi videntur fecisse codicum scribae; etenim si Poleno,[2]) viro litterarum Vitruvianarum scientissimo, fides habenda est, „ad extremum codicis, qui nunc Venetiis in Bibliotheca D. Marci asservatur, et pertinuit olim ad Cardinalem Bessarionem, leguntur haec: Decimus et ultimus Vitruvii Pollionis peritissimi et eloquentissimi Architecti Liber de Architectura ad Caesarem Augustum faelicissime exigit.“ [3]) Itaque in editionibus quoque antiquissimis, quae talibus codicibus nituntur, hunc pleniorem titulum legimus; namque in editione principe Sulpiciana anni fere 1486 hanc exstare Polenus testatur[4]) inscriptionem: „L. Victruvii Pollionis ad Caesarem Augustum de Architectura Liber Primus;“ atque eadem verba leguntur in editione altera Florentina anni 1496, quam ipsam inspicere mihi licuit.

Ex illo igitur tempore inter viros doctos plerosque constabat, Augustum fuisse illum „imperatorem“ et „Caesarem“, ad quem Vitruvius libros de architectura misit, neque huic opinioni stabiliendae deerant argumenta ex ipsius de se verbis aliisque testimoniis non sine iure collecta.[5]) Errat autem Claudius Perraultius, cum dicit:[6]) „Quelquesuns doutent quel est l'Empereur à qui Vitruve dedie son Livre, parce qu'il n'ya point d'adresse dans les anciens exemplaires, qui nomme Auguste, Philander estant le premier qui a intitulé cet ouvrage

---

2) Exercitationes Vitruvianae secundae. Patavii 1739. p. 157. n. 10.

3) de codice cf. exerc. Vitr. primae. Patavii 1739 p. 130; scriptus est XV. saeculo.

4) l. l. p. 157 n. 10.

5) veluti haec: Vitr. IX praef. 16 sq de celeberrimis Romanorum scriptoribus locutus et nobiles poetas enumerans tantum Ennium, Pacuvium, Lucretium memorat. VIII 3,25 dicit se cum C. Julii Masinissae filio colloquium habuisse, unde apparet temporum ratione habita eum aetate provectum scripsisse. cf. Perrault Les dix livres d'Architecture de Vitruve, corrigez et traduitz nouvellement en François avec des notes et des figures. A Paris 1673. p. 1 n. 1 ad praef. § 1.

6) l. l.

M. Vitruvii Pollionis de Architectura libri X ad Caesarem Augustum.“ Philander enim non primus hoc fecit, quamquam verum est eum in Vitruvii vita ex ipso opere collecta, quam annotationibus suis in Vitruvium praemisit,[7]) hunc Augusti temporibus adscribere. Jure igitur Perraultius propter hunc errorem a Poleno l. l. vituperatur. Quod porro dicit Polenus „in annotatione autem eadem scribit Perraultius placere aliquibus Vitruvium Tito libros suos nuncupavisse; utinam illos aliquos nominavisset, quorum ego notitiam invenire non potui“, haec Perraultii verba in meo exemplari anni 1673 non inveni, unde suspicio mihi oritur Polenum Perraultii librum emendatiorem et auctiorem anni 1684 manibus tenuisse, qui mihi praesto non est. Sed utut est, si Perraultius recte hoc animadvertisset, „placere aliquibus Vitruvium Tito libros suos nuncupavisse“ appareret sententiam illam nuperrime denuo probatam, qua Vitruvius Titi aetati attribuitur, perantiquam esse; quamquam cum haec sententia Poleno, litterarum Vitruvianarum, ut ante dixi, scientissimo non innotuerit, Perraultii verba in dubium vocare licebit.

Quantum ego rem perspicere potui, Vitruvium opus suum Augusto dedicasse aperte iam inscriptione indicatur ut in editionibus primis ita in editione Argentoratensi anni 1543 (M. Vitruvii viri suae professionis peritissimi de Architectura libri X ad Augustum Caesarem accuratissime conscripti) Lugdunensi anni 1552 (M. Vitruvii Pollionis de Architectura libri X ad Caesarem Augustum e. q. s.)[8]) in versione Italica Ciserani[9]) (Novis Comis a. 1521, in praefatione Augustini Galli ad Franciscum Valesium). Atque si adiungimus etiam Philandrum, Baldum,[10]) Polenum, Reinesium, Mercurialem[11])

7) Guil. Philandri Castilionii Galli civis Romani in decem Libros M. Vitruvii Pollionis de Architectura Annotationes ad Franciscum Valesium. Romae 1544.

8) Poleni exercitt. Vitr. I p. 43, 70.

9) Schneider in edit. suae praef. (Lipsiae 1807) p. XVI—XXI. Polen. l. l. p. 28 sqq.

10) M. Vitruvii Pollionis vita conscripta a Bernardino Baldo Urbinate. cf. Polen. l. l. II p. 151 sqq.

11) Polen. l. l. p. 157. n. 10.

hanc sententiam probasse, statuere licebit eam illo tempore pervulgatam et tralaticiam fuisse, etsi res ipsa ferre potuit, ut non deessent, qui aliter sentirent.[12]) Sed certa eorum nomina ut afferre possem, mihi non contigit. Polenus igitur postquam scripsit anno 1739 l. l. „plane existumo (veteri communique permanens in sententia) Augustum fuisse Imperatorem illum Caesarem, cui Vitruvius suum de Architectura opus nuncupavit", controversia de hac re diiudicata videbatur esse.

Paulo post vero Morgagni vir doctus denuo eam excitavit; [13]) collato enim loco quodam Strabonis cum Vitruvio[14]) in epistula ad eundem Polenum scribit sic: „sic haerere me fateor, ut propemodum suspicari incipiam aut ea, quae modo de Ravenna descripsi, non esse a Vitruvio, aut, si forte sint, non hunc libros suos Augusto, sed contra ac plerique, nec sine multiplici ratione creditis, alicui obtulisse posteriorum Imperatorum . . . . exemplum igitur ad confirmandam Vitruvii sententiam ab Ravenna maxime petitam non scriptorem Augusto coaevum, sed aliquem potius videtur indicare, qui posteaquam Claudius amplam illam . . . . portam . . . . murosque Ravennae dederat, tunc demum vixit, sive is Vitruvius, quod alii eius librorum loci minus credibile mihi faciunt, sive alius fuit, qui Ravennae exemplum in ora addidit codicis sui, unde postea inter Vitruvii verba translatum est." Tum igitur primum vir egregius et doctissimus, cuius auctoritas apud aequales magna erat, argumentum gravissimum sibi invenisse visus est, quo paene invitus Vitruvium posteriori quam Augusti aetati adsignare cogeretur, nisi glossam in textum eius irrepsisse statueret.

---

12) Schneider. l. l. p. XI. B. Galiani, l'architettura . . . colla traduzione italiana e commento. Napoli 1758. vita di M. Vitruvio Pollione p. XVIII et p. 1. adn. 1.

13) Opusc. misc. (Venet. 1763) II p. 32 in epistola ad Marchionem Polenum: „In Vitruvii locum ad tempus, quo scripsit, attinentem . . . epistola."

14) Strabo V p. 213d: *ἐν δὲ τοῖς ἕλεσι μεγίστη μέν ἐστι Ῥάβεννα ξυλοπαγὴς ὅλη καὶ διάρρυτος, γεφύραις καὶ πορθμείοις ὁδευομένη* . .
Vitr. II 9, 11: est autem maxime id considerare Ravennae, quod ibi omnia opera et publica et privata sub fundamentis eius generis habent palos. — cf. Schneider ad II 9, 11. II p. 149 sq, qui antiquam sententiam recte defendit.

Atque brevi post eum tempore exstiterunt, qui vestigia eius premerent. Interpres enim Vitruvii Britannicus, Guilelmus Newton,[15]) in praefatione versionis suae Vitruvium Titi aetate vixisse et illi imperatori opus suum misisse magno argumentorum numero prolato contendit. Sed argumenta eius accurate examinata omnia corruerunt; satis enim ea infregerunt et debilitaverunt viri docti Hirt[16]) et Marini[17]); ego quoque postea occasione oblata nonnulla argumenta, quibus probare studuerunt et ille et alii post eum Vitruvium Flaviorum temporibus vixisse, si omnino memoratione digna neque prorsus inepta sunt, strictim refutare studebo. Sed de Hirtio et Marinio plura verba facienda sunt; etenim cum antea viri docti satis haberent statuisse Vitruvium Augusto libros suos misisse, illi primi accuratius perscrutati sunt, quonam tempore sub Augusto scripsisset.

Atque Hirtius duo certa argumenta sibi invenisse visus est, quod Vitruvius et aedem Quirini memoraret neque theatra Balbi et Marcelli novisset, cum de Pompeii solo theatro lapideo verba faceret; aedes autem Quirini anno a. Chr. 49 incendio consumpta (Dio 41, 14) cum postea ab Augusto refecta (Mon. Anc. 4, 6 lat.) et anno a. Chr. 16 dedicata esset (Dio 54, 19.) atque Balbi et Marcelli theatra annis 13 et 11 exstructa essent, sequi Vitruvium intra annos a. Chr. 16 et 13 libros de architectura composuisse et edidisse; quae sententia etiamnunc apud plerosque viros doctos pervulgata est; sed num stare possit, postea videbimus.

Quamvis enim acute excogitata esse videatur, tamen multo magis laudandus est mea quidem sententia Marinius, cum dicit (l. l. p. XVI sq): „Duo in Vitruvii opere tempora distinguenda sunt: unum scilicet conscriptionis et dedicationis alterum. Ex hac temporum diversitate ratio peti potest explicandi, cur

---

15) The Architecture of M. Vitruvius Pollio. Translated from the original latin by W. Newton. Londinii 1771. repet. 1791. Librum ipsum inspicere mihi non licuit.

16) Wolf, Museum der Altertumsw. I. p. 228 sqq.

17) in editionis suae (Romae 1836) praefatione p. IX—XIV.

Vitruvius monumentum quoddam eius aevi omiserit, dum aliquod posterius memoravit. Fieri namque potuit, ut, cum Auctor integrum opus scriberet, ea nondum exstarent et sequenti tempore, quod inter Operis conscriptionem et dedicationem intercessit, aedificata fuerint; ideoque cum sua volumina Octaviano ederet, eorum alicuius tantummodo vel suo iudicio dignioris vel magis in rem facientis mentionem tunc addiderit; quod praesertim factum videtur in descriptione Basilicae Fanestris, ubi Augusti mentio est; ea namque descriptio parergon apparet: manifesta insuper eius addendae ratio est, cum de aedificio ab se constructo res sit, et in quo describendo Augusti templum alibi non nominatum refertur, ita ut eodem tempore Auctor et Augusto et sibi per eam additionem gratificaretur.“ Quae verba, quorum velim recorderis in fine dissertationis, mirum in modum congruunt cum eis, quae ipse inveni iam antequam Marinius mihi innotuisset. Apparet autem ex verbis eius Vitruvium ei videri scripsisse primis principatus Augusti annis, h. e. ante a. 27, id quod ex verbis eius de basilica Fanestri iure colligere licet, atque aliquanto post demum libros additamentis auctos edidisse. Quod vellem viri docti non neglexissent.

Quamquam iam paulo ante eum nonnulli viri docti in Hirtii sententia non acquieverant et quaestionem illam denuo instituendam censuerant; sed cum Sachsius[18]) argumento quodam nisus, quo nos quoque usuri sumus, contenderet Vitruvium non posse post annum a. Chr. 30 scripsisse, anno 1828 Chr. Fr. L. Schultzius in litteris ad Goethium missis[19]) libros illos sub Vitruvii nomine pervulgatos decimo p. Chr. saeculo ab archiepiscopo Gerbert scriptos et Vitruvio cuidam suppositos esse statuit; criminatus autem est auctorem illorum librorum non architectum artis, quam profitebatur, peritum, sed falsarium et hominem ignarum esse, qui ne eas quidem res, quae suae artis essent, recte intellegeret, sed multa falsa et

18) Sachse „Geschichte und Beschreibung der alten Stadt Rom“ I 1824 p. 579.
19) cf. Rhein. Mus. IV (1836) p. 329 sqq.

prava proferret; atque Goethius, qui Vitruvium semper coluerat et magno cum studio perlegerat, non neglegendam hanc sententiam duxit. Neque vero coniectura talis, qualem Schultzius commendaverat, stare potuit, cum Vitruvii codex nono saeculo manu scriptus exstaret; quare filius eius, cum anno 1856 librum, quem pater de hac re incohaverat, imperfectum ederet, sententiam eius ita mutavit, ut libros de architectura quarto p. Chr. saeculo scriptos esse diceret. Quod paradoxon viri docti silentio transierunt atque ne redarguere quidem dignati sunt.

Ne illud quidem plerique respexerunt, quod vir doctissimus Lachmann,[20]) quia Vitruvius semper nomine imperatoris vel Caesaris, nunquam Augusti utitur, conclusit Vitruvium libros suos composuisse, antequam Octaviano Augusti cognomen deferretur; quod factum est a. d. XVIII Kal. Febr. anni a. Chr. 27. Sed fugit eum nomen Augusti a Vitruvio commemorari (p. 107, 3 = V 1, 7),[21]) unde Mommsenus (Mon. Anc. p. 81), qui sententiam illam Lachmannianam in universum probat, librum quintum post 27 editum esse collegit. Praeterea, ut hoc statim addam, L. Friedlaender[22]) recte observavit scriptores imperatorem alloquentes multo saepius nomine Caesaris vel imperatoris quam Augusti usos esse.

Post illos quaestio iterum sopita esse videbatur. Sed cum etiam in litterarum studiis nihil tam absurdum et ineptum statuatur, quin laudatores et praecones inveniat, anno 1896 Ussingius[23]) Schultzii coniecturam denuo commendavit atque novis argumentis probare studuit. Itaque cum Schultziorum

20) Rhein. Mus. VI 1839 p. 107 = „Kleinere Schriften zur klass. Philol." Berlin 1876. 2 p. 164. cf. prosopograph. imp. Rom. III 526 p. 457.

21) In testimoniis Vitruvianis afferendis sequor editionem maiorem, quam curaverunt Rosius et Müller-Strübingius anno 1867, cuius paginae in editione minore Rosii Teubneriana (1899) adscriptae sunt.

22) Sittengesch. III p. 509.

23) Betragtninger over Vitruvii de architectura libri decem. D. Kgl. Danske Vidensk. Selsk. Skr. 6. Raekke hist. og filos. Afd. IV 3. Hauniae 1896. Cui libro adiunxit summarium „Observations sur Vitruve et sur le temps, ou peut avoir été écrit l'ouvrage qui porte ce titre." Jam antea de hac re Ussingius videtur egisse in libro „om Graekernes og Romernes Huse" Hauniae 1876 p. 3; quem tantum ex Teuffelii adnotatione (§ 264, 1) novi.

patris et filii sententias ut philologiae et criticae rationis non satis peritorum iure neglegere possent viri docti, nunc, postquam vir doctus auctoritate sua eundem opinionem tutatus est, dignam eam habere debuerunt, quam diligenter examinarent. Neque defuerunt, qui eam probarent veluti viri docti Wölfflin,[24]) Lanciani,[25]) Heiberg.[26]) Sed plerique eam plane neglexerunt, pauci refutare conati vel contrariam sententiam ut aperte pronuntiarent, commoti sunt.[27])

In quo numero imprimis laudandi sunt Krohnius et Degeringius; hic ea potissimum opprobria Schultzii et Ussingii infringere studuit atque infregit, quae sunt de praeceptis Vitruvianis ad artem pertinentibus (de hac re Hultschius quoque l. l. suam sententiam in universum protulit) et rationem, quae Vitruvium inter et Plinium Athenaeumque intercedit, illustravit; quo tempore Vitruvium scripsisse putat, paucis tantum significavit.

Krohnius autem singula libri Ussingiani capita accurate percensuit et examinavit atque singula eius argumenta redarguere studuit, quibus ille probat Vitruvium tertio vel quinto p. Chr. saeculo vixisse. Etsi autem ceteris in rebus Ussingium erravisse demonstrat, hoc tamen probandum esse confitetur Vitruvium non eo tempore, quo vulgo putatur, scripsisse, atque nonnullis aliis Ussingii argumentis non neglegendis adiutus ad eam sententiam perducitur, ut Vitruvium ante annum a. Chr. 31 libros composuisse, postea demum eos edidisse

24) Archiv für Lexikographie X p. 301.
25) Bull. comm. 1899 p. 24. n. 2.
26) Revue de philol. 1897. Revue des revues p. 145 sqq.
27) Aitschison „Athenaeum“ nr. 3625 p. 516.
Browne ibid. nr. 3626/7. p. 586.
Hultsch-Schmidt, Heronis opera I p. LXX n. 1.
Tannery. Revue de phil. 1897 p 118 sqq.
Krohn. Berl. Philol. Wochenschr. 1897 col. 773 sqq.
Degering. Rhein. Mus. 1902 p. 8 sqq. cf. Pauly-Wissowa, Realencyklopädie' (= P-W) V col. 1162 s. v. dipteros.
Studniczka. Jahresh. d. Oesterr. Inst. VI (1903) p. 131. n. 47.
V. Mortet. „Revue archéologique“ 1902 p. 39/81.
„ „ 1904 p. 222/33. 282/93.

credat. Qua in re non multum differt a Degeringio,[28] qui Vitruvium intra annos 27 et 23 scripsisse statuit.

In illorum sententiam viri docti Tannery et Browne caute ita discesserunt l. l., ut ipsi quoque Vitruvium primis imperii Augusti annis scripsisse concederent. Argumenta autem, quibus illi utuntur, talia sunt, ut minime consentiant cum eis, quae adhuc proferuntur ad tempus, quo Vitruvius scripserit, circumscribendum, neque tamen ullo modo neglegi possint, quoniam ex ipsius Vitruvii de libro suo verbis aliisque testimoniis ad historiam spectantibus ducuntur, ut paene cogamur, de inveterata illa sententia decedere.

Sed cum de hac re inter illos ipsos viros minime iam conveniat neque omnibus in rebus Krohnio assentiri possim, Degeringius autem, quem speramus hanc rem pro sua doctrina et sagacitate ad finem perducturum, ea, quae promisit, in lucem proferre moretur, operae pretium duxi hoc ipso tempore sententiam illam, quam in universum probo, si fieri potest, pluribus argumentis confirmare, praesertim cum nuper virum doctum Francogallum Mortet iterum Vitruvium ab Augusti temporibus segregasse et Titi aequalem dixisse viderim. Hoc autem iam satis viri docti demonstrarunt, credo, Vitruvium primo a. Chr. saeculo vixisse; quare nihil aliud mihi proposui nisi ut, quando Vitruvius sub Augusto libros de architectura scripserit et ediderit, testimoniis certis, quae ipse de se et arte sua perhibet, indiciisque quibusdam ad historiam et artem pertinentibus usus accuratius definiam. Qua in quaestione etiam alteram illam magis generalem solvam, utrum omnino sub Augusto vixerit et scripserit an sub alio imperatore.

28) l. l. s. v. dipteros.

Caput primum.

De tempore, quo Vitruvius ipse se scripsisse indicat, accuratius circumscribendo.

Argumenta, quibus usi sunt plerique viri docti ad tempus, quo Vitruvius scripsisset, terminandum, petita erant ex indiciis quibusdam, quae suppeditabantur commemoratione et significatione rerum quarundam fide historiae comprobatarum, hominum, aedificiorum, rerum gestarum; unde profecti anquirebant, quae de his rebus aliunde comperta haberemus, collatisque eis cum Vitruvii auctoritate certam rationem sibi invenisse visi sunt, qua tempus, quo Vitruvius scripsisset, accurate definire possent. Sed plerique id plane neglexerunt quaerere, utrum continuos omnes decem libros et conscripsisset et edidisset, an alio tempore scripsisset, alio edidisset, an singulos libros postquam composuit, statim edidisset. Deinde haec ratio cum per se recta sit et interdum unica, qua uti licet ad tempus, quo litterarum aliquod monumentum scriptum vel editum sit, circumscribendum, tamen neque semper tam certa est, ut omnem dubitationem removeat, et in ipso Vitruvio hoc habet difficultatis, quod nescimus, quatenus atque qua ratione fontibus usus sit in conscribendis illis libris, ut dubium sit, utrum ea, quae profert, auctori alicui debeat an suae ipsius doctrinae. Quare factum est, ut virorum doctorum sententiae de hac re tam variae tamque diversae esse possent. Praeterea viri docti non omnia argumenta et indicia, quae in tali quaestione in censum veniunt, accurate examinaverunt, sed uno vel altero adhibito reliqua neglexerunt.

Velim recorderis verbi causa Hirtii argumentationem, quam tibi supra (p. 5) proposui. Etenim cum Dio (43, 45)

tradat anno a. Chr. 46 statuam Caesaris in templo Quirini positam esse, unde apparet templum illud aut statim restitutum esse aut partem eius solam anno 49 conflagrasse, atque constet Pompeii theatrum etiam post a. 13 vulgo audisse[1]) nomine proprio lapideum vel marmoreum, Hirtii argumenta non iam adhiberi posse satis elucet ad tempus, quo Vitruvius scripsit, accuratius definiendum, itemque apparet, quam cauti esse debeamus quamque incerta ratio illa esse possit. Quid, quod Hirtius alia, quae certi cuiusdam temporis indicium exhibent, aut plane silentio transiit veluti porticum Metelli (p. 69, 18 sq.), in cuius locum paulo post 33 porticum Octaviae substitutam esse constat (Dio 49, 43), aut non satis probabiliter explicavit?

Jam manifestum esse puto, id quod supra (p. 1) dixi quaestionem illam de tempore, quo Vitruvius scripserit, denuo esse instituendam, cum ea sententia, in qua plerique adhuc permanent, stare non iam possit, atque alia via et ratione, si fieri potest, progrediendum. Qua via praegressi sunt Marinius (p. 5 sq) et Krohnius (p. 8 sq) quorum ille rectum magis significavit quam certis argumentis comprobavit, hic primus, quantum video, praefationem primi libri accurate perlegit et sibi persuasit Vitruvium ipsum tempus, quo libros de architectura scripsisset et edidisset, ita significare, ut certum inde indicium capere possemus. Atque hac via Krohnium secutus ipse quoque aggrediar ad quaestionem illam solvendam.

Proficiscendum igitur esse mihi videtur ab eis testimoniis, quae Vitruvius ipse de se et libris suis profert, quippe quae omnium gravissima esse debeant. Quaecunque enim de vita et scriptis Vitruvii scimus, non aliunde nobis tradita sunt (p. 1), sed ab ipso comperimus cum aliis locis tum praefationibus, quas singulis libris praemisit. Quarum formam et stilum rhetorum discipulum (VI praef. 4) indicare patet et intellegitur imprimis ex fabulis et rebus historicis atque

1) Richter, Topographie der Stadt Rom.² p. 227. Becker, Handb. der röm. Altertümer I p. 619 n. 1310; p. 677 n. 1474.

philosophicis, quas in illis magna cum loquacitate et praeceptis moralibus ornatas profert. Etsi vero testimonia illa de se et libris suis interdum narrationi rhetoricae intexuit, tamen ea rebus ipsis non convenire, sed ipsa secundum rhetorum praecepta conformata esse vel rhetorico fonti deberi non prius probabile ducam, quam certis argumentis e re ipsa vel extrinsecus petitis demonstratum erit. Immo nullam habemus causam, cur non testimoniis illis ut maxime idoneis ad vitam eius et tempus, quo scripserit, cognoscenda utamur. Primum igitur accurata eorum interpretatione opus est.

Atque imprimis praefatio libri primi, qua opus suum Augusto inscribit et commendat, nobis interpretanda est. Ex illa enim, sicunde, certum testimonium capere nos posse confido, ut, quando Vitruvius libros de architectura conscripserit, cognoscamus, dummodo contingat nobis, ut tempus, quod significat, circumscribamus. Sed audiamus ipsum.

„Cum divina tua mens et numen, imperator Caesar, imperio potiretur orbis terrarum invictaque virtute cunctis hostibus stratis, triumpho victoriaque tua cives gloriarentur et gentes omnes subactae tuum spectarent nutum populusque Romanus et senatus liberatus timore amplissimis tuis cogitationibus consiliisque gubernaretur, non audebam, tantis occupationibus, de architectura scripta et magnis cogitationibus explicata edere, metuens ne non apto tempore interpellans subirem tui animi offensionem.“ Dictio quam sit rhetorica, neminem fugere potest, neque verba, quibus utitur, nimis premenda sunt; quare cum imperatorem alloquatur „divina tua mens et numen“, ex his solis verbis minime colligere licet Augusto tum divinos honores largitos esse Romanos neque Vitruvium haec scribere potuisse, antequam genius vel numen Augusti inter deos publice adoratos receptum est.[2]) Sed res, quas verborum quodam tumore significat, dubiae esse vix possunt. Etenim omnia quae dicit si

---

2) Hor. epist. II 1, 1 sqq, 15. cum adn. Kiesslingii. Mommsen: Hermes XV p. 109. Röm. Staatsr. 2^{3} p. 756/7. Ceterum cf. p. 7 cum n. 22.

accurate comparaveris cum rebus ab Augusto gestis, aptissime mihi concedes referri ad tempus triumphi victoriaeque Actiacae, sc. ad annos 31—29.[3]) Aegypto enim pacata omnes terrae et civitates, quae mari interno adiacebant, Romanorum sub potestate erant, ut iure Vitruvius de imperio orbis terrarum loqui posset, atque omnes hostes, qui salutem imperii bellis et civilibus et externis per plus centum annos perturbaverant et in discrimen vocaverant, prostrati humi iacebant; itaque pax, cuius desiderio omnes boni tamdiu flagraverant, reddita erat gentibus; quam vero gratiam cives Augusto habuerint et rettulerint, nemo nescit, qui Horatium perlegit,[4]) neque quam cupide et diligenter Augustus Aegypto reversus statim legibus et institutis rem publicam temperare studuerit. Quibus rebus omnibus consideratis dubitari vix potest, credo, quin ea, quae Vitruvius initio praefationis dicit, pertineant ad tempus triumphi victoriaeque Actiacae neque dici potuerint de alio tempore principatus Augusti, velut de annis 16—13.

Illo igitur tempore (annis 31—29) Vitruvius non audebat tantis imperatoris et civium occupationibus, quae de architectura iam scripserat et magnis cogitationibus explicaverat, edere (p. 1, 7 sq). Sequitur igitur primum Vitruvium quaedam de architectura scripta habuisse iam antequam pugna Actiaca — ut certum tempus significem — imperium et principatum Octavianus solus occupavit;[5]) quae num

3) Gardthausen „Augustus und seine Zeit" I[1] p. 387 sqq. 471/81, impr. 480 sq. I[2] cap. VI—VIII. II[1] p. 264 sq. cf. Vellei. II 89: finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor, restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui maiestas, imperium magistratuum ad pristinum redactum modum ... redit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus.

Newton, Halicarnass and Cnidos, 2, 2 p. 695; pl. LXXXVII *εἰρηνεύουσι μὲν γὰρ γῆ καὶ θάλαττα, πόλεις δὲ ἀνθοῦσιν εὐνομίᾳ ὁμονοίᾳ τε καὶ εὐετηρίᾳ.*

4) cf. Gardth. l. l. I[1] p. 468.

5) Quare, quod Vitruvius in praefatione libri quinti (p. 103, 24—27), dicit: „non minus cum animadvertissem distentam occupationibus civitatem publicis et privatis negotiis, paucis iudicavi scribendum" e. q. s., occupationes illae publicae, cum de tempore loqui videatur, quo scribere coeperit, nescio an non eaedem sint intellegendae de quibus supra egi (Vitr. p. 1, 7) sed rectius referendae ad bella cum Sex. Pompeio, Lepido, Antonio gesta.

omnia sint eadem atque ea, quae nos legimus, alia est quaestio; deinde constat eum haec non statim edidisse, „metuentem ne non apto tempore interpellans subiret animi imperatoris offensionem" editionem igitur post pugnam Actiacam factam esse.

Pergit Vitruvius: „cum vero attenderem te non solum de vita communi omnium publicaeque rei constitutione habere, sed etiam de opportunitate publicorum aedificiorum, ut civitas per te non solum provinciis esset aucta, verum etiam, ut maiestas imperii publicorum aedificiorum egregias haberet auctoritates, non putavi praetermittendum, quin primo quoque tempore de his rebus ea tibi ederem." Nunc igitur de tempore editionis librorum docemur; laudat Vitruvius curam et operam, quam Augustus impenderit in egregia aedificia urbis ornandae causa exstruenda, quae maiestatem imperii demonstrarent (cf. Suet. Aug. 29); quod provinciis imperium auctum esse dicit, cogitare licebit imprimis de Aegypto (anno a. Chr. 30). Moesia (29), Cypro (27), Galatia, Pamphylia (25).[6]) Certum vero tempus, quo libros ediderit, ex his verbis conicere non possumus, quia non rem quandam nobilem significat ut antea victoriam anni 31 et triumphum anni 29. Sed cum dicat „primo quoque tempore . . . . ederem" statuere licebit Vitruvium edendos libros curasse quam primum fieri posset.

Sed videamus, quid porro Vitruvius in praefatione libri primi de vita sua et libris narret: „ideo quod primum parenti tuo de eo fueram notus et eius virtutis studiosus. cum autem concilium caelestium in sedibus immortalitatis eum dedicavisset et imperium parentis in tuam potestatem transtulisset, idem studium meum in eius memoria permanens in te contulit favorem." „Parens" est Caesar, cui Vitruvius se notum fuisse ut architectum dicit; — nam is videtur sensus esse verborum eius paulo obscuriorum „de eo" [7]) —. Caesar autem anno

6) Marquardt, Röm. Staatsverw. I^2 p. 301 sq. (Moesia) 358 (Galatia) 375 (Pamphylia) 390 sq. (Cyprus) 438 (Aegyptus).

7) cf. Meyer, Gesch. der Botanik p. 390; tamen recte fortasse Hirtius coniecit eum iam sub Caesare stipendia meruisse; non enim dubito, quin

a. Chr. 42 lege Rufrena deus consecratus est;[8]) hoc significat Vitruvius verbis „cum . . . concilium caelestium in sedibus immortalitatis eum dedicavisset"; imperium, quod in Augustum translatum esse dicit, non illud est, quod Augusto perpetuum senatus anno a. Chr. 29 detulit (Dio 52, 41); sed nihil aliud dicere vult nisi Octavianum imperium parentis morte a. 44 vacuefactum suscepisse.[9]) Illo igitur tempore (annis 44 sqq) Vitruvius ad Augustum sese adplicavit et ei „cum M. Aurelio et P. Minidio et Cn. Cornelio ad apparationem ballistarum et scorpionum reliquorumque tormentorum refectionem" (p. 2, 3—5) praesto fuit et cum eis commoda accepit. Bellis igitur Mutinensi, Philippensi, Perusino interfuisse videtur (a. 44/40).

Pergit Vitruvius ita: „quae (sc. commoda) cum primo mihi tribuisti, recognitionem per sororis commendationem servasti." Sororem illam fuisse Octaviam, quae anno a. Chr. 11 mortua est[10]) (Dio 54, 35) dudum viri docti intellexerunt; atque optime ea, quae Vitruvius de Octavia refert, cum eis conveniunt, quae aliunde de eius natura comperimus.[11]) Liceat autem Gardthauseni[12]) verba laudare: . . . hat Octavia niemals Politik getrieben; nur das Vorrecht des Weibes hat sie sich niemals nehmen lassen, Frieden zu stiften und die Leiden des Krieges entweder zu verhindern oder zu mildern. Statt der Politik wendete sie vielmehr der Wissenschaft und Kunst ihr Interesse zu; sie war diejenige, welche einen Architekten wie Vitruv ihrem Bruder empfahl, die zugleich litterarische Bestrebungen

Massiliae, quam videtur novisse (p. 35, 18) obsidioni illi nobili (Caes. b. c. II 1—16) interfuerit cf. X 16, 11 sq.

8) Gardth. l. l. I[1] p. 133. II[1] p. 52 sq. Mommsen, Röm. Staatsr. 2[3] p. 756. n. 1. Jordan, Röm. Topogr. I[2] p. 406/7 n. 125. Preller-Jordan, Röm. Myth. 2 p. 427.

9) cf. C. J. L. IX 2142, inscriptionem anni fere 42, quae nomen Octaviani „imperatoris" exhibet.

10) Gardth. l. l. I[3] p. 1085. Liv. per. 140.

11) Dio 47,7 narrat mulierem Romanam nomine Tanusiam Octavia adiutrice ab Octaviano anno 43 impetrasse, ne maritus Titus Vinnius proscriberetur.

12) l. l. I[1] p. 217 sq.

unterstützte, was ihr Schriftsteller, wie z. B. Athenodorus, durch Widmung ihrer Schriften öffentlich dankten.

En habes exemplum, quam temere nonnulli Vitruvium Tito libros suos nuncupavisse dicant; ut praetermittam, quod omnia ea, quae Vitruvius de restituto imperio reliquisque rebus dicit, accurate examinata in Titi aetatem non quadrant, Vespasiano scimus unam fuisse filiam nomine Domitillam, quam privatus amisit (Suet. Vesp. 3); quare Titus, cum imperator esset, sororem non habuit. Sed hoc argumentum ut levius obiter tantum commemorare volui; accedunt alia graviora, quae postea videbimus. Quare pergamus.

„Cum ergo eo beneficio essem obligatus, ut ad exitum vitae non haberem inopiae timorem, haec tibi scribere coepi, quod animadverti multa te aedificavisse et nunc aedificare, reliquo quoque tempore et publicorum et privatorum aedificiorum pro amplitudine rerum gestarum, ut posteris memoriae tradantur, curam habiturum.“ Octavia igitur commendatione sua hoc videtur impetrasse ab Octaviano, ut commoda illa, de quibus loquitur p. 2, 6, vel pars eorum Vitruvio usque „ad exitum vitae“ praeberentur,[13] neque a verisimilitudine longe aberrabimus, si dicemus eum priusquam scribere inciperet munere sese abdicasse; etenim quod Lucretium, Ciceronem, Varronem ut aequales memorat (IX praef. 17), cum haec scripsit, sexagenarius fere videtur fuisse, atque ipse se aetate provectum profitetur (II praf. 4) cum dicit: „faciem deformavit aetas, valetudo detraxit vires.“[14]) Quare probabile est eum a laboribus et sudore militiae recessisse atque senem tantum libris de architectura conscribendis et interdum aedificiis exstruendis, ne prorsus a „fabrica“ (p. 2, 20) abstineret, operam dedisse (p. 106, 13 sq).

Quod Vitruvius dicit „scribere haec coepi quod animadverti multa te aedificavisse et nunc aedificare“ e. q. s., huius rei

13) de panibus civilibus („Pension“) Alciatus quoque iure peritus in parergis iuris loquitur (Operum Tom. IV edit. 1582 p. 484) cf. Poleni exercitt. Vitruv. secundas p. 160 n. 18.

14) Berliner Philol. Wochenschr. 1897. col. 779 sq

optimam interpretationem ea exhibent, quae Augustus ipse in monumento quod dicitur Ancyrano de aedificiis a se factis[15]) vel confectis vel refectis exposuit.[16]) Paulo enim postquam patri successit, Octavianus aedificare coepit nec per totum diuturni imperii tempus unquam fere studium aedificandi intermisit; atque cum „curia Julia et continens ei chalcidicum" facta sint iam anno 42[17]) et aedes divi Juli, quae decreta est a. 42, cernatur in nummis cusis inter annos 37 et 34,[18]) ut alia omittam, iure etiam Vitruvius, etsi iam ante annum 31 scripsit, hanc causam, cur scriberet, afferre potuit, quod animadvertisset imperatorem „multa aedificavisse et nunc aedificare, reliquo quoque tempore et publicorum et privatorum aedificiorum . . . curam habiturum". Huc accedit, quod Augustus non ipse solum aedificavit „sed et ceteros principes viros saepe hortatus est, ut pro facultate quisque monimentis vel novis vel refectis et excultis urbem adornarent. Multaque a multis tunc exstructa sunt"[19]) ... Imprimis Agrippa quanta et quam multa praeclara aedificia ad usum potissimum hominum pertinentia aedilis anno 33 et postea exstruxerit, monuisse satis habeo.[20])

Iam ad finem perduximus interpretationem huius praefationis atque ex ea cognovimus Vitruvium iam ante pugnam Actiacam in libris de architectura conscribendis occupatum fuisse neque post annum demum a. Chr. 16 scribere coepisse. Tamen non omnia Vitruviana, quae nobis praesto sunt, tum conscripta esse posse vel inde apparet, quod de aede „Augusti" loquitur Vitruvius (cf. p. 7). Quare examinare nos oportebit, quaenam ante annum 31 — ut certum terminum statuam, qui etiam aliis argumentis confirmatur — scripta esse vel debeant vel possint, et quae posterioris temporis indicium exhibeant; atqui cum

15) cf. Richter, Topogr. v. Rom² p. 138 n. 1.
16) Mon. Anc. ed. Mommsen. 1883². 4, 1—23 lat. p. 78/88.
17) Mon. Anc. p. 79. Dio 47, 19; 51, 22.
18) Mon. Anc. p. 80. Dio 47, 18.
19) Suet Aug. 29 cf. Gardth. l. l. I² p. 981/6.
20) cf. Frandsen „M. Vipsanius Agrippa" Altona 1838 p. 140/76.

Vitruvius non dicat se diversis temporibus libros suos conscripsisse, sed tantum alio tempore se scripsisse, alio scripta edidisse, sequi mihi videtur commentaria illa „de architectura scripta et magnis cogitationibus explicata“ (p. 1, 7 sq) eadem fere forma et ratione, qua nos ea legimus, iam illo tempore, quo ipse se scripsisse dicit, composita esse; quae vero post illud tempus scripta esse debent, nescio an apte pro additamentis habeantur, quibus auxit quibusdam de causis libros suos tum, cum edendos eos curavit.

Quae cum ita se habere mihi videantur, primum de eis rebus agam, quas Vitruvium ante a. 31 necessario scripsisse certis quibusdam ex indiciis apparet, ut magis eluceat, quae ratio intercedat inter commentaria priora et libros postea editos.

Caput alterum.

De rebus quibusdam, quas Vitruvius ante annum 31 scripserit necesse est.

Tertio libro Vitruvius „de deorum immortalium aedibus sacris et uti oporteat perscriptas“ (p. 64, 28—30) loquitur; singula genera et species templorum percenset et uniuscuiusque exempla Romae vel, si ibi desunt, alibi exstantia et omnibus nota affert. Quod Romanorum aedificiorum mentionem facit, hoc ita intellegendum esse unusquisque, qui Vitruvii naturam et architecturae scientiam accuratius novit, concedet, arbitror, eum nulla alia memorare nisi ea, quae tum, cum de eis scripsit, Romae revera exstabant, ut unusquisque, si vellet, sibi persuadere posset Vitruvium ea recte descripsisse; nisi forte putas eum tam malum architectum et artis scriptorem fuisse, ut in ea re, quae, si ulla, artis eius erat, non ipse iudicaret, sed fontes quosdam sequeretur. Licet autem Vitruvius multis in rebus aliis obnoxius sit, in hac tamen eum non ex libris quibusdam — Varronis verbi causa, de quo statim cogites — scientiam sibi conquisivisse, sed ipsum aedificia illa novisse et

inspexisse[1]) persuasum mihi est neque prius de hac sententia decedam quam contrarium probatum erit; immo spero me postea meam sententiam argumentis posse stabilire. Haec habebam, quae contra Schanzium[2]) dissererem.

Quare si Vitruvius aedificia quaedam memorat, ea tum, cum de eis scripsit, exstiterint necesse est, unde argumenta nos capere posse apparet ad tempus, quo de eis scripsit, terminandum.

Araeostyli proprietates Vitruvius hisce verbis significat: . . . „et ipsarum aedium species sunt barycephalae humiles latae ornanturque signis fictilibus aut aereis inauratis earum fastigia tuscanico more, uti est ad Circum maximum Cereris“ . . . (p. 71, 17—20). Illud templum, quod iam anno a. Chr. 493 dedicatum erat (Dionys. Hal. VI 94) anno a. Chr. 31 igne funditus consumptum esse testis est Dio (50, 10: *καὶ πῦρ ἄλλα τε οὐκ ὀλίγα . . . τό τε Δημήτριον . . . ἔφθειρεν.* cf. Strab. VIII 6 p. 381 b: *τὸν δὲ Διόνυσον ἀνακείμενον ἐν τῷ Δημητρείῳ . . . ἑωρῶμεν. ἐμπρησθέντος δὲ τοῦ νεὼ συνηφανίσθη καὶ ἡ γραφὴ νεωστί);* Augustus reficiendam eam aedem curavit, sed Tiberio demum imperante anno p. Chr. 17 iterum dedicata est (Tac. ann. II 49).

Cum antea aut plane neglectum esset templum illud anno 31 deletum a Vitruvio memorari[3]) aut ita explicaretur, ut Vitruvium antiquam aedem spectare statuerent,[4]) alii, quos secutus est Ussingius, inde concluserunt Vitruvium non intra annos 16 et 13 scripsisse, sed, cum aedes anno p. Chr. 17 demum dedicata esset, ne vixisse quidem Augusti aetate, sed post annum 17, h. e. ut illi statuunt, aut Flaviorum temporibus aut quarto p. Chr. saeculo. Rectum vidit Krohnius, quem secuti Vitru-

1) cf. etiam Jordanum in Comm. Momms. p. 362: „Vitruvius, homo simplex et in aedificiis urbis Romae nuncupandis vulgatam eiusdem aetatis consuetudinem amplexus.“ postea Vitruvium monumenta ipsum vidisse profitetur.

2) Geschichte der Röm. Litt. . . II¹ p. 351 (ed. 2.)

3) cf. Becker. l. l. p. 471 sq. n. 981, qui, quamquam Vitruvium circa annum 14 scripsisse putat, tamen in hac re non offendit.

4) Hirt l. l.

vium ante annum 31 verba illa de Cereris aede scripsisse statuimus, cum etiamtum illa Romae exstaret. Ne hoc quidem neglegendum esse arbitror, quod constat Augusto senatus decreto anno a. Chr. 28 templa reficienda delata (Mon. Anc. p. 86 M) et Cereris aedem anno demum p. Chr. 17 dedicatam esse, unde aliqua cum probabilitate colligere videmur aedem non paulo post 28, sed extremis Augusti annis refici coeptam esse, ut vix quisquam probare possit eam anno a. Chr. 14 iam refectam fuisse.

Deinde quod Vitruvius p. 69, 19, ut peripteri rationem exemplo Romano illustret, aedem in porticu Metelli Iovis Statoris Hermodori commemorat, inde alterum gravissimum argumentum capi posse arbitror ad tempus, quo de ea scripserit, definiendum. Etenim pro certo habemus in locum porticus Metelli postea porticum Octaviae substitutam neque prius hoc factum esse quam anno a. Chr. 33[5]) post bellum Dalmaticum confectum. Atqui cum Vitruvius hoc scriberet, porticus Metelli etiamtum Romae exstabat necdum porticus Octaviae eius loco constituta erat, quam ab ipso Augusto aedificatam (Suet. Aug. 29) Vitruvius non silentio praeterisset, si eam novisset; unde apparet scripta esse haec ante a. 33. Sed videamus, quomodo viri docti, qui Vitruvium anno 14 scripsisse putant, tergiversati sint, ut Vitruvii verba cum Dionis testimonio coniungerent.

Beckerus Sachsium impugnans, qui eadem ex eis conclusit atque nos (cf. p. 6), in eo acquiescit, ut Dionem errasse statuat.[6]) Atque eodem pertinet Richteri sententia, cum dicit[7]) aliquanto post 33 porticum commutatam esse; etenim hoc non ante 14 fieri potuit secundum eius de Vitruvio opinionem; neque vero ullam habemus causam, cur Dionem, quippe qui tam accurate commutationis causam sciat, viginti annis erravisse arbitremur. Multo vero minus O. Gilberti

5) Dio 49, 43, 8: *ἐπειδήτε οἱ Δελμάται παντελῶς ἐκεχείρωντο, τάς τε στοὰς ἀπὸ τῶν λαφύρων αὐτῶν καὶ τὰς ἀποθήκας τῶν βιβλίων τὰς Ὀκταουιανὰς ἐπὶ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ κληθείσας κατεσκεύασεν.*

6) l. l. p. 611 n. 1289. — 7) l. l. p. 218.

sententia mihi arridet,[8]) qui putat commutationem factam esse per complures annos. Num ea re expeditur, cur Vitruvius porticum Octaviae nondum noverit? nisi forte putas porticum viginti demum annis postquam coepta erat confectam esse. Quare non video, quomodo huic difficultati mederi possimus, nisi Vitruvium ante a. 33 de porticu Metelli scripsisse concedimus.

Facta autem est illa anno a. Chr. 149 a Metello Macedonico (Vellei. I 11), atque eodem fere tempore aedis Iovis Statoris ab Hermodoro,[9]) quem templum Martis ad circum Flaminium auctore Bruto Callaeco, consule anni 138 (Plin. N. H. 36, 26) architectatum esse testis est Nepos (apud Priscian. VIII p. 792).[10]) Quae ratio inter diversa illa templa et aedificia a diversis memorata intercedat[11]) atque utrum Metellus templum Iovis Statoris ipse exstruendum curaverit[12]) an iam invenerit et commutaverit[13]), hoc diiudicare nostra nunc non interest. Sed habemus formam eorum aedificiorum, qualis erat Caracallae et Severi temporibus, servatam in „forma Urbis“, ubi delineatam eam invenies apud Jordanum[14]) tabula quinta. Si vero comparaveris eam cum Vitruvii verbis, hoc te offendet, id quod Brunnius perspexit l. l., quod in fragmentis Capitolinis aedes Iovis peripteros est sine postico, Vitruvius non commemorat eam postico carere, cum de sequenti exemplo aedis Marianae Honoris et Virtutis id aperte dicat. Sed hoc ita explicari posse Brunnius iudicavit, ut Augusti aetate, cum omnia illa aedificia commutarentur, templi quoque illius genuinam formam mutatam esse statuamus. Quod mihi admodum videtur probandum esse; arbitror igitur aedem Iovis tum, cum Vitruvius scripsit, fuisse peripterum integrum; cum vero bybliothecae exstruerentur[15]) illa-

8) Gesch. u. Topogr. d. Stadt Rom i. A. III p. 249 n. 1.
9) Brunn, Gesch. d. griech. Künstler II² p. 240 sq.
10) Richter l. l. p. 218. — 11) cf. Becker. l. l. p. 609 fin.
12) cf. Jordan. l. l. I¹ p. 17 n. 31. — 13) Richter l. l.
14) Forma Urbis Romae 1874. cf. Beckeri tabulam quartam.
15) Quas etsi fortasse post Marcelli demum mortem dedicatae sunt (Plut. Marc. 30), tamen una cum porticu nova Octaviae incohatas esse Dio dilucidis verbis, de quibus non dubitandum est, affirmat.

rum causa posticum sublatum esse.[16]) Quod si verum est, novum habemus argumentum gravissimum atque ex lapide, qui errare non potest, sumptum Vitruvium non solum, quae de porticu, sed etiam, quae de aede ipsa dicit, scripsisse ante annum 33. Etenim quod porticus nova et bybliothecae Tito imperatore igne consumptae posteaque denuo restitutae sunt (Dio 66, 24), cur huic demum tempori templi commutationem tribuas, ideo nulla est causa, quia, ut ante dixi, manifestum est commutatam esse formam bybliothecae exstruendae causa.

Quam commutatam formam ex alia quoque re cognoscere licet; Vitruvius enim cum dicat templum Iovis columnas habuisse „in lateribus cum angularibus undenas" (p. 69, 14 sq) et forma eius in Capitolinis fragmentis delineata et reliquiae, quae usque ad hunc diem exstant,[17]) decem tantum columnas exhibent in lateribus;[18]) qua re ea, quae supra (p. 21) exposuimus, magis etiam confirmantur.

Systyli exemplar, quod Romae exstet, Vitruvius laudat p. 71, 3 sq aedem Fortunae Equestris ad theatrum lapideum (de hoc cf. p. 11). Dedicata illa anno a. Chr. 173 (Liv. 42, 10, 5) anno 92 etiamtum Romae exstabat (Jul. Obs. 53, 113);[19]) sed Tiberii aetate non iam fuisse eam Tacitus testatur (ann. III 71), qui narrat equites Romanos anno p. Chr. 22 donum, quod pro valetudine Augustae voverant Fortunae Equestri, cum nullum delubrum tali cognomento in urbe esset, prope Antium in nobili illo Fortunae templo locandum curavisse. Quaeritur igitur, cum Vitruvius aedem commemoret, quo fere tempore deleta sit. Hirtius quondam putabat factum hoc esse sub Tiberio, cum Pompeii theatrum flammis corri-

---

16) cf. Becker p. 612.

17) Lanciani „Ruins and excavations of ancient Rome" 1897 p. 471: There are exquisite remains of both temples [Jovis et Iunonis] in or under the houses via di S. Angelo in Pescheria, n. 8. and n. 11 . . . but they are allowed to remain in such a state of neglect and filth, that it is hardly worth while to try to approach them.

18) Beschreibung der Stadt Rom von Platner, Bunsen, Gerhard etc. 1830/42. III 3, p. 36.

19) „Livius" edd. Weissenborn-Müller. X p. 203.

peretur.[20]) Quod duabus de causis mihi probabile non est: primum quod incendium illud non tam vehemens fuit, ut templum quoque conflagrasse putandum sit, neque de hac re quidquam comperimus; deinde quod ex Taciti verbis apparere videtur templum illud non paulo antequam equites eo egerent, interisse — theatrum enim post annum demum p. Chr. 20 conflagrasse ex alio loco Taciti (III 23) colligendum est — sed iam aliquantum temporis praeterisse, ex quo Romae Fortunae equestris templum exstitit; nullam enim talis templi notitiam ad Taciti aures pervenisse verba eius significare mihi videntur, quod sane fieri potuit, si aliquanto ante 22 evanuerat neque iam in hominum memoria erat. Quodsi consideramus anno a. Chr. 31 vehemens incendium urbem devastasse[21]) atque paulo post ipsum Pompeii theatrum, a quo prope aberat aedes Fortunae, restitutum esse,[22]) aliqua cum probabilitate illi tempori interitum aedis Fortunae equestris tribuamus, unde iterum appareat Vitruvium ante a. 31 scripsisse. Neque vero huic argumento, quod magis coniectura assecutus sum quam certa argumentatione probavi, tantam vim tribui volo quantam eis, quae supra attuli, firmioribus et gravioribus.

Sed iam satis disputavi de eis, quibus aut certe demonstretur aut probabile fiat Vitruvium in opere suo conscribendo iam ante a. 31 occupatum fuisse. Quod primum ex ipsius de tempore, quo scriberet, verbis conclusimus, hoc stabilire licuit quibusdam argumentis e re ipsa petitis; atque cum utrumque argumentorum genus per se solum nonnihil valeat, inter se coniuncta ambo et firmissima et gravissima esse apparet.

Nunc autem omnia ea examinare oportet, quae eodem tempore scripta esse possunt, quo illa, quae modo collegi, scripta esse debent, ut intellegamus, quantam operis partem

20) Tac. ann. III 72. VI 45. Vellei. II 130. Suet. Tib. 47, Richter p. 228.
21) Dio 50. 10: καὶ πῦρ ἄλλα τε οὐκ ὀλίγα . . . . ἔφθειρεν.
22) Mon. Anc. p. 83. Richter l. l. p. 228.

Vitruvius eo tempore scripserit, quo ipse se scripsisse dicit, sc. ante 31. Etenim si apparebit Vitruvium maximam partem earum rerum, quas in libris suis profert, tam ante annum 31 quam postea scribere potuisse, ipsius de opere suo testimonio confisi (cf. p. 18) non dubitabimus contendere eas scriptas esse a Vitruvio ante a. 31; atque elucebit hac quaestione absoluta eum totum fere opus, quod nostris in manibus est, hoc tempore scripsisse.

Constat autem Vitruvium librorum de architectura maximam partem conscripsisse ex fontibus cum Romanis tum Graecis; quae igitur illis debet, h. l. in censum venire non possunt, nisi aut sui temporis fontes adiit aut suae doctrinae additamentis fontes auxit, neque obliviscendum est iam ante Vitruvium veteres aedificavisse et de architectura scripta reliquisse.

Neque vero multum nostra refert nos minime iam omnes auctores cognovisse, quibus usus est, neque satis perspexisse, quae ratio intercedat hunc inter et illos. Satis habemus intellegere, ubi antiquioribus auctoribus usus sit; si quid tamen in his partibus cognoscimus, quod eius temporis et doctrinae proprium est, ut indicio nobis possit esse de tempore quaerentibus, veluti in libris nono et decimo, qui toti fere ex Graecis fontibus conscripti sunt, aut in eis, quae de ordinibus Dorico, Ionico, Corinthio vel de balneis, basilicis, similibus refert, respiciendis his operam dare studui.

Cavendum est praeterea, ne praecepta Vitruvii de singulis rebus data cum monumentis, quae ad nos pervenerunt, conferentes obliviscamur neque semper eum haec praecepta petivisse a rebus ipsis, quae revera exstabant, sed saepe normas et regulas posuisse, quas architecti sequi deberent aut possent, si quid perficere vellent, quod ipsi utile videbatur, neque omnia nobis monumenta servata esse, sed maximam eorum partem periisse, ut, si quam Vitruvii regulam secutos esse architectos aedificiorum quorundam cognoscimus, quae illius aetati tribuenda sunt, inde minime certa argumenta capi possint ad tempus, quo ille scrip-

serit, tam accurate definiendum, quam nostra id circumscribi interest.

His praemissis ad hanc quaestionis nostrae partem absolvendam adire licet.

Caput tertium.

De rebus ambiguis, quae ante a. 31 sic, ut traditas eas legimus, scriptae esse possunt.

Pars prima.

De aedibus sacris.

Libro tertio Vitruvius agit de aedium sacrarum genere et specie et de ordine[1]) Ionico, libro quarto de ordine Dorico et Corinthio, praeterea in utroque de rebus omnium templorum propriis, velut de fundamento (III 4), de interiorum distributione, cultu, ornatu (IV 4 sqq). Ubi hoc animadvertendum est eum, quamquam omnia fere, quae in universum exponit, Graecis debet fontibus, tamen haec non illustrare exemplis Graecis, sed imprimis Romanis; quindecim enim affert templa Romana, tria Attica, quattuor, quae vel in Asiae minoris vel in insularum Graecarum urbibus exstabant. Quod certissimum mihi videtur esse argumentum eum exempla sua Romana non ipsa quoque fontibus suis debere, sed ipsum addidisse, postquam ipse ea inspexit et rationem eorum cum fontium auctoritate comparavit. Quod architectus solus facere potuit, quare ne de Varrone[2]) quidem auctore Vitruvii cogitari potest, qui fontes quosdam Graecos exscribere potuit, non potuit de his rebus ita iudicare, ut facit Vitruvius.

Deinde vero hoc admodum est notabile Vitruvium tam pauca memorare templa in ipsa Graecia exstantia, quamquam

---

1) cf. Semper. Der Stil[2] . . . II, p. 425[1].

2) capite enim primo, quae de proportionibus et mensuris exponit Vitruvius, Polycleti videtur esse doctrina a Varrone ei praebita cf. Urlichs, Über griech. Kunstschriftst. Würzburg 1887. p. 11 sq.

res, de quibus loquitur, in illa aut natae aut ad summam perfectionem perductae sunt. Itaque ex hoc aliisque argumentis iure collegerunt viri docti[3]) eum, ubi de Graecorum aedificandi ratione loquatur, non tales auctores secutum esse, qui in ipsa Graecia vixerunt et eius monumenta in scribendo ante oculos habuerunt, sed qui in Asia minore habitabant, aedificabant, scribebant; veluti ea, quae de eustyli ratione et de ordine Ionico exponit, ad Hermogenem ab eo valde laudatum referuntur.[4])

His praemonitis ad ipsa monumenta enumeranda transire licet.

Aedis in antis exemplar est „ad tres Fortunas ex tribus, quae est proxime portam Collinam" (p. 69, 6 sq),[5]) ex quibus unam Cassius Dio (42, 26, 3) de anno a. Chr. 47 commemorat; easdem Crinagoras, quem anno a. Chr. 29[6]) aut certe ante annum 26[7]) Romae fuisse constat, laudat in epigrammatis (48, 1 Rubensohn): quare potuit Vitruvius haec ante a. 31 scribere.

Prostyli exemplum Vitruvius affert „in insula Tiberina aedem Iovis et Fauni" (p. 69, 11 sq) anno a. Chr. 193 dedicatam.[8]) Contra Beckerum, qui ex Vitruvii aliorumque testimoniis, quae inter se repugnare ei videbantur, conclusit duas fuisse aedes, unam Iovis, alteram Fauni,[9]) iure monet Jordanus,[10]) cum et natalis aedis Iovis et Fauni idus februariae et idibus omnibus feriae Iovi fuerint, nihil habere offensionis, quod sacra utriusque dei in aede Fauni coniuncta fuerint. Cum vero in tanta ab aetate dedicationis ad principatum Augusti veterum fanorum mutatione vix possit credi hanc potissimum aedem non esse aut ab ipso Augusto aut antea refectam, posse Iovis nomen cum nomine Fauni sociatum esse

3) cf. Noack „Philologus" 58 (1899) p. 15 sqq.

4) Puchstein „Das ionische Kapitell" 47. Berl. Winckelmannsprogr. 1887 p. 40 sq. cf. R. Delbrück, Die drei Tempel am forum holitorium in Rom 1903. p. 51 sq. Vitr. III 3 § 6—9, sq.

5) Richter l. l. p. 291. — 6) Cichorius „Rom und Mytilene" p. 61.

7) Rubensohn in edit. Crin. p. 19.

8) Liv. 34,53. Richter. l. l. p. 283. — 9) l. l. p. 652 n. 1398 sq.

10) Comment. Mommsen. p. 362 sq.

tum cum reficeretur. Neque vero equidem assensus sim Austio,[11]) qui ex his Jordani verbis conclusit aedem Fauni fortasse ab Augusto refectam esse nomine Iovis addito, cum hoc fieri non posset ante a. 28 (p. 20). Immo cum et Faunus deus agrestis (Ovid. fast. II 193) fuerit et Iovem agricolae ut almum, ruminum, frugiferum Epulonem (C. I. L. VI 3696) invocaverint[12]) atque eodem anno, quo aedes illa devota est, tresviri Epulones instituti sint[13]) (Liv. 33, 42, 1) putaverim iam ab initio aedem tulisse amborum deorum quadam ex parte propinquorum nomen.

Aedis Mariana Honoris et Virtutis (p. 69, 19 sq cf. VII praef. 17) compluriens a Cicerone commemoratur[14]) velut senatum de eius reditu in illa egisse comperimus. De aede Dianae Magnesiae ab Hermogene facta (p. 70, 1 sq) nihil aliud dicendum est nisi optime convenire Vitruvii auctoritatem cum rebus ipsis, ut humi perscrutatio nos docuit.[15])

De Menesthe et eius opere nihil aliunde scimus neque verba facienda sunt de aede Dianae Ephesia.[16]) Aedem Quirini Doricam (p. 70, 5 cf. p. 179, 12), ex cuius commemoratione certum argumentum sibi duxisse visum esse Hirtium iam supra (p. 5) exposuimus ad terminum, post quem Vitruvium scripsisse censet, definiendum, proximo capite tractabo.

Sequuntur nota illa verba (p. 70, 6 sq) de hypaethri genere, quae multi tractaverunt et in hanc aut illam partem interpretati sunt, prout eorum erat sententia. Nunc vero nemo iam potest dubitare neque quin revera exstiterint hypaethri apud veteres neque quin longe maxima pars templorum anti-

---

11) „De aedibus sacris populi Romani . . . . .“ Marpurg. 1889 p. 20 nr. 48.
12) Wissowa „Relig. u. Kultus der Römer“ ² p. 108 n. 4.
13) l. l. p. 357.
14) pro Sest. 54, 116. de div. I 28. cf. schol. Bob. ad or. pro Planco 32. Richter l. l. p. 120.
15) Brunn, Griech. Künstlergesch. II. p. 241 sq. Jahrb. des Inst. IX 1894. Archäol. Anz. p. 76 sqq. p. 85! Kothe-Watzinger „Magnesia am Maeander“ p. 11 ff. 22.
16) cf. Murray. Journal of the Royal Institut of British architects. 1895. p. 48.

quorum nullum a tecto acceperit lumen.[17]) Praeterea autem hoc tenendum est unicum illud exemplum hypaethri, quod Vitruvius videtur novisse, templum Iovis Olympii Atheniene, illo tempore, quo Vitruvius scripsit, nondum perfectum fuisse,[18]) ut nesciamus, an proprietas illa imperfecto aedificii statu explicanda sit.

De templo divi Iuli (p. 70, 19) liceat Mommseni[19]) verba afferre: „quo loco corpus Caesaris crematum est in foro ante regiam, statim posita est ara; aedes (ἡρῷον) ibi ut fieret cum decretum esset anno 42 (Dio 47, 18), cernitur ea in nummis cusis inter annos u. c. 717 et 720 (Eckhel 6, 11, 75); dedicata est autem anno demum 29 (Dio 51, 22) triduo post triumphum Actiacum.“ Etsi igitur Vitruvius ante eius dedicationem scripsit, tamen iam tunc perfectum erat.

Templum in Caesaris foro Veneris[20]) (p. 70, 19) quamquam anno a. Chr. 46 (Dio 43, 22) una cum foro, priusquam absolutum esset, dedicatum et postea ab Augusto demum perfectum est, tamen Vitruvius, quippe qui speciem solam eius spectet, iam ante 31 id ut pycnostyli exemplar laudare potuit. Ceterum auctoritas eius confirmatur testimonio Palladii, qui sine dubio hoc spectat templum, cum dicit:[21]) gli intercolunnii erano la undecima parte del diametro delle colonne meno di un diametro e mezzo: il che io reputo degno di avertimento, per non haver veduto intercolunnii cosi piccioli in alcuno altro edificio antico.

Aedem Apollinis et Dianae (p. 71, 13) quamnam spectet Vitruvius, dubitari potest. Plerique de aede Apollinis Palatini cogitant, in qua iuxta Apollinem Dianam et Latonam adoratam esse scimus;[22]) illa autem quando aedificari coepta sit, non

17) cf. impr. Doerpfeld. Athen. Mitt. XVI p. 334 sqq.

18) Iudeich Topogr. d. Stadt Athen 1905. p. 340 sq.

19) Mon. Anc. p. 80. cf. Richter p. 92 sqq. Jahrb. des Inst. IX p. 137 sqq. — 20) Richter l. l. p. 110.

21) Architettura. Venet. 1642 IV p. 128. cf. Becker p. 366 n. 691. Lanciani „Ruins and Excav.“ p. 302 sq.

22) Prop. II 31, 15. Mommsen. ephem. epigr. VIII p. 259. Amelung Röm. Mitt. XV 1900 p. 202/4.

satis constat; minime enim inter omnes convenit factum hoc esse post bellum Siculum bene confectum anno 36. Etenim Velleius dicit (II 81): „templumque Apollini . . . facturum promisit, quod ab eo singulari exstructum est munificentia“ atque Dio (49, 15) τὸν τόπον . . . ἐδημοσίωσε καὶ τῷ Ἀπόλλωνι ἱέρωσεν. Neuter igitur affirmat eam aedem tum iam incohatam esse, neque sine causa Richterus, contra ac plerique[23]) putant, statuit eam anno 36 promissam, sed post 31 demum effectam esse.[24]) Neque vero omnino ullam video causam, cur et cum illo et cum aliis statuamus Vitruvium spectare templum Palatinum neque illam alteram aedem, „quae erat extra portam Carmentalem inter forum Olitorium et circum Flaminium; ea enim sola tum demum Romae Apollinis aedis“.[25]) Etenim ut in templo Apollinis Palatini ita in illa vetusta aede Romani praeter Apollinem et Dianam et Latonam et Musas coluere; quare Vitruvii verba ad utrumque referri possunt.[26])

Tamen facere non possum, quin duas coniecturas, quae mihi in hac re sese obtulerunt, proferam, quibus, si stare non possunt, ea, quae supra exposui, non debilitantur; sin probabiles videntur, Vitruvii verba vel aptius referuntur ad templum Apollinis vetustum quam ad Palatinum.

Ac primum quidem quod dicit: „haec dispositio [sc. diastyli] hanc habet difficultatem, quod epistylia propter intervallorum magnitudinem franguntur“ (p. 71, 13—15), quamquam eam difficultatem etiam aedificiis recentibus perniciosam fuisse concedendum est, tamen, quod illo tempore templum vetustum restitutum esse scimus a Sosio[27]), consule anni a. Chr. 32, ea re fortasse et Vitruvii verba bene illustrantur et illis refectionis necessitas explicatur.

Deinde quod aedes Palatina primum erat Romae aedificium ex quadratis marmoreis Lunensibus exstructum,[28]) et propter

23) velut Gardthaus. I² p. 961 sqq. Mon. Anc. p. 80.
24) l. l. p. 146. — 25) Ascon. ad orat. in tog. cand. 115.
26) Plin. 36, 24 et 34; Juven. VII 37. Wissowa l. l. p. 201 n. 6.
27) Plin. 13, 53 et Dio 49, 22 cf. Richter. l. l. p. 213.
28) Serv. ad Aen. VIII 720.

hanc rem et propter reliquum splendorem multorum laudibus celebrata est. Vitruvius autem, ubi de lapidicinis loquitur (II 7), unde lapides arcessuntur ad aedificia Romae exstruenda, ne verbo quidem tangit celeberrimas illas lapidicinas Lunenses, quas Augustus demum Romanis aperuit;[29]) quod silentium eius viri, qui semper se totam architecturam in unum corpus redegisse praedicet (cf. p. 36, 22 sq; 83, 16 sq; 134,7 sq) in re tam notabili vix aliter interpretari possum — nam fonte aliquo illo loco certe usus non est, sed ipse expertus loquitur — atque ita, ut dicam eum de his rebus scripsisse, antequam templum Apollinis Palatini exstaret, unde appareat et illud post 31 incohatum esse et Vitruvium spectare antiquam Apollinis aedem.

De aede Herculis Pompeiani [30]) et de Capitolio (p. 71, 20 sq), quod post incendium Sullanum anno a. Chr. 69 Catulum denuo dedicasse satis est notum, nihil amplius dicendum est. Nova restitutione videtur eguisse eo tempore, quo Vitruvius scripsit, cum anno 28 ab Augusto refectum sit. [31]) Quae Vitruvius de aede Liberi Patris hexastylo dicit, ab Hirtio confirmantur [32]) atque ad Hermogenem referenda sunt (III 3, 6—9).

Templum Castoris in circo Flaminio [33]) (p. 101, 18) memoratur praeterea in fastis Amiterninis, quos post 15 p. Chr. compositos esse constat, [34]) idibus Aug.

Inter aedes sacras singulari quodam genere factas numerat Vitruvius etiam aedem inter duos lucos Veiovis,[35]) quam „vidit Ovidius lucos ante duos ‚inter arcem et Capitolium' (Gell. V 12) nec dubium quin viderit inter annos 27 et 25 Livius, licet de ipsa aede tacuerit, ubi asylum fuisse tradit locum, qui nunc saeptus descendentibus inter duos lucos est.“[36])

De Erechtheo (p. 101, 21) nihil est notandum neque de templo Dianae Nemorensis, quod erat Ariciae (p. 101, 19)

29) Jordan Topogr. I p. 16. n. 29. — 30) Richter l. l. p. 189.
31) Mon. Anc. lat. 4, 9. — 32) Gesch. d. Bauk. b. d. Alten II 66.
33) Richter l. l. p. 217. — 34) C. I. L. I² p. 243.
35) Dionys. Hal. II 15. Ovid. fast. III 429 sqq.
36) Liv. I 8, 5. Jordan. Comment. Momms. p. 363.

accuratiora cognovimus; de aede autem Palladis Minervae, quae erat Sunii (101, 21), quae Vitruvius disputat, quod non conveniunt cum eis, quae nobis servatae sunt, reliquiis nuper effossis [37]), hoc auctoribus fortasse eius vitio dandum est, qui quos imprimis secutus sit auctores supra exposuimus (p. 26).

Illis templis, quorum nomina et descriptionem exhibent libri III et IV, adiungenda est ex libro septimo aedes Florae (p. 179, 13), quam etiam Varro commemorat in libris de lingua Latina (V 32, 158), qui scripti sunt annis 46 et 45. [38])

Omnes igitur aedes sacras, quarum fata accuratius cognosse nostra intererat, postquam percensuimus, satis apparet, credo, nihil esse causae, quin de eis haec, quae nobis praesto sunt, Vitruvium iam ante 31 scribere potuisse statuamus. Neque in eis, quae libro tertio et quarto in universum exponit de diversis ordinibus et de aedium sacrarum instituta ratione, exaedificatione, cultu, quidquam invenio, quod ab illa aetate abhorrere videatur.

Immo cum de aedibus rotundis exponens (IV 8) duo tantum earum genera describat, monopterum, cuius exemplum, quamquam ipse nullum profert, cognoscere licet templum Augusti et Romae in arce Athenarum situm, [39]) et peripterum, quale est templum, quod dicitur Vestae, Tiburi situm, inde colligam Pantheum ei tunc nondum notum fuisse, quod tertio cuidam generi aedium rotundarum [40]) attribuendum est, cuius cellae paries in fronte tantum porticum exhibet, ceterum columnarum ornatu vacat. [41]) Nam vix credibile ducam Vitruvium hoc genus et splendidissimum eius exemplar prorsus silentio transiturum fuisse, si post 27, quo anno dedicatum est ab Agrippa, (Dio 53, 27, 2. C. I L. VI 896) scripsisset.

Quae de ordine Dorico et de capitulo Corinthio Vitruvius praecipit, referenda sunt magis ad monumenta Romanorum quam

---

37) *'Εφημ. ἀρχ.* 1900 p. 123. 129. — 38) Müller. praef. p. V.
39) Iudeich l. l. p. 235. Durm, „Baukunst der Römer“ [2] 1905. p. 548.
40) nam aedis sacra sine dubio fuit; cf. Becker p. 634. Maass „Tagesgötter in R. u. d. Prov.“ 1902 p. 287 sqq. — 41) Durm l. l. p. 547 sq.

Graecorum.[42]) Ordo autem Doricus dudum fuit Romanis notus, cum Corinthius, quem iam in antiquissimo Romae templo, quod ad nos pervenit, invenimus [43]), maximopere floruerit aetate imperatoria.[44])

Tria autem potissimum sunt, quae, si quis diligenter legit Vitruvii de ordine Corinthio verba, aliquid offensionis habere possint. Ac primum quidem Ussingius in eo quondam offendit, quod Vitruvius praecipit „cetera membra, quae supra columnas [Corinthias] imponuntur, aut e Doricis symmetriis aut Ionicis moribus in Corinthiis columnis conlocantur" (p. 84, 7—9); tamen hanc coniunctionem ordinum iam Paesti invenimus in templo, quod tertii a. Chr. saeculi priore dimidio factum est.[45])

Deinde Vitruvius dicit „in extremis angulis semimetopia esse imprimenda" (p. 92, 15 sq.); quod praeceptum in monumentis, quae ad nos pervenerunt, nusquam adhuc observatum esse videmus. [46]) Sed tenendum est illud praeceptum et mera ratiocinatione effectum esse posse neque omnia nobis monumenta servata, sed maximam eorum partem oblivione obrutam esse; certe autem de tempore, quo Vitruvius scripsit, ex hac re colligi nihil potest.

Denique vetat Vitruvius in fastigiis denticulos fieri (p. 90, 7 sq); hoc vero quin ex fonte aliquo antiquiore descripserit — de antiquis ipse loquitur l. l. — dubium non est; apertis autem verbis suam de hac re opinionem pronuntiavit, quia videbat Romanos in fastigiis denticulos admittere solitos esse,[47]) id quod antiquos secutus improbat.

---

42) Durm l. l. p. 373.
43) Röm. Mitt. 1895 p. 17 (Hülsen). Springer-Michaelis.[7] Handb. d. Kunstgesch. I p. 373.
44) Springer-Mich.[7] p. 389.
45) Koldewey-Puchstein „Die griech. Tempel in Unteritalien und Sizilien" 1899 p. 32. cf. etiam Krohn. Berl. Philol. Wochenschr. 1897. col. 778.
46) Perrot-Chipiez. Histoire de l'art dans l'antiquité. VII p. 493 sq.
47) cf. Noack Philol. 58. p. 18. Durm l. l. p. 386 Ceterum consuetudo illa Romanorum manifesta est in picturis quoque Pompeianis generis quod dicitur primi et alterius. cf. Mau, Pompeji in Leben u. Kunst. 1900 p. 449. 452.

Ne in praeceptis quidem, quae de regionibus dat, quas debeant spectare aedes sacrae, certi cuiusdam temporis vestigium cognoscere licet.[48]) Sed hoc de aedibus sacris hactenus.

Pars altera.
De reliquis aedificiis.

Agendum erit hac parte imprimis de libris quinto, sexto, septimo, quibus complexus est Vitruvius omnia, quae exponenda esse ei visa sunt de variis generibus aedificiorum profanorum tam publicorum quam privatorum; ubi iterum considerandum est eum scrinia scriptorum Graecorum compilasse [49]) atque pauca addidisse, quae ipsius tempus et doctrinam sapiunt; qua re explicatur, cur is auctor, qui ad usum Romanorum scripserit atque eorum imperatori librum suum miserit, tam multas res neglexerit Romanorum proprias vel a Romanis ad summam absolutionem perductas veluti circum, cloacas, aquarum ductus, quos quidem paucis tantum verbis stringit, pontes, concamerationes, fornices, quippe quas in fontibus suis non descriptas invenerit.

In singulis aedificiis percensendis ipsius Vitruvii librorum ordinem sequar.

Ac primum quidem capite primo et altero libri quinti exponit, quomodo fora et aedificia cum illo coniuncta, sc. basilicae, aerarium, carcer, curia exstruenda sint.

De foro, quamquam nihil ad rem facit, monuisse iuvat Vitruvium de Graecorum consuetudine locutum non eam rationem spectare, qua antiquissimis temporibus, sed qua post Alexandrum fora instituere consueverunt, veluti e. c. Prienae hoc factum esse videmus; [50]) quod autem ad Romanorum fora attinet, neque Romanum neque Pompeianum forum neque aliud, quantum video, omnibus Vitruvii praeceptis respondet,[51]) sed aliud

48) Nissen. Das Templum. p. 174.
49) cf. Nissen Pomp. Stud. p. 109. 285. 519. 622 sq.
50) Wiegand-Schrader „Priene" p. 45. 185 sqq. cf. Noack Philol. 58 p. 18. Nissen Pomp. Stud. p. 208. — 51) Durm l. l. p. 608.

aliis; ita in foro Pompeiano porticus „supra ambulationes in contignationibus“ (p. 105, 1 sq) habebant, et Veleiae forum ita erat constitutum,[52]) ut longitudine in tres partes divisa ex his duae partes latitudini datae essent (p. 105, 11—13).

De gladiatoriis muneribus in foro datis proxima parte dicam;[53]) maeniana autem quod Ammianus fabricari Romae priscis vetita esse legibus tradit (27, 9, 10), hoc ad aedes privatas tantum referri potest, cum etiam Cicero (Acad. II 22, 70) de „maenianorum umbra“ loquatur, atque ea omnino a scriptoribus et huius et sequentis aetatis saepe commemorentur.[54])

De basilicarum situ (p. 105, 24 sq) Vitruvii praeceptum plerumque observatum est, ut re ipsa expeditur; etenim mercatui et iuri dicundo serviebant. Sed quae de aedificandi eas ratione dicit, ea ipse secutus non est in basilica sua Fani exstructa;[55]) de qua, cum post a. 27 eam fecerit necesse sit, proximo capite agam.

Exemplum basilicae, cui additum sit chalcidicum, memorat basilicam Iuliam Aquilianam (p. 106, 1). Quae cum nobis aliunde nota non sit, Reberus quondam putavit Vitruvium de duabus loqui basilicis, quarum altera sit nobilis illa basilica Iulia, atque scripsit „uti sunt in Iulia et Aquiliana“; quem secutus est Rosius. Sed de basilica Iulia cogitari nullo modo potest,[56]) ut ex ipsis eius reliquiis satis apparet; immo codicum scriptura „in Iulia Aquiliana“ servanda est et res ita explicanda, ut Aquilium quendam, fortasse Aquilium Gallum, familiarem Ciceronis,[57]) cui in colle Viminali domus fuit pulcherrima omnium illius aetatis,[58]) hanc basilicam exstruxisse putemus in honorem Caesaris dictatoris,[59]) veluti Puteolis basilicam ab Anniis in honorem Augusti exstructam esse scimus.[60])

52) Nissen, Ital. Landesk. II p. 276 sq.
53) cf. Becker. l. l. p. 325 n. 594.
54) Pauly „Realencyklopädie“ 4. p. 1359.
55) P.-W. III col. 87 s. v. basilica (Mau).
56) cf. etiam Jordan „Forma Urbis“ p. 25.
57) Cic. ad Att. I 1, 1. Brut. 41, 154. Top. 7, 32. pro Cluent. 53, 147.
58) Plin. N. H. 17, 2. — 59) K. Lange „Haus und Halle“ 1885 p. 199.
60) basilica Augusti Anniana C. I. L. X 1782 sqq.

Basilicae adiungendum esse tribunal, in quo ius reddatur, neque Vitruvius praecipit, neque Fani tribunal, quod iuri dicundo serviret (p. 107, 9) cum ipsa basilica, sed magis cum aede Augusti coniunxit;[61]) tamen unam basilicam Iuliam tribunali caruisse pro certo habemus,[62]) cum aliae eius temporis basilicae tribunali ornatae fuerint veluti basilica Pompeiana[63]) et ea, quam Caesar anno a. Chr. 47 Antiochiae faciendam curavit.[64])

De capite altero nihil est dicendum; inde a tertio Vitruvius copiosius disputat de theatris. De quibus quae permulti magna contentione diversissimas in partes disputaverunt, omnia fere neglegere licet, cum nihil aliud quaeramus nisi utrum Vitruvius scribere sua potuerit ante annum 31 necne.

Cum theatrum Romanorum (V 6) a theatro Graecorum (V 7) distinguit Vitruvius, suae aetatis theatra eum spectare cum per se est verisimile tum colligi potest ex eo, quod artifices scaenicos et thymelicos ita commemorat (p. 120, 19), ut eluceat illos tum in scaenam prodire solitos esse; quod proximo a. Chr. demum saeculo factum est.[65])

Quare theatrum Vitruvii „Graecum" Doerpfeldius appellavit „Graeco-Romanum";[66]) quod quo iure fecerit, diiudicare non audeo. Tamen quod ex actis ludorum saecularium[67]) colligit theatrum Pompeii fuisse illo more exstructum atque hoc spectare Vitruvium in praeceptis suis dandis, quippe cui de theatro „Graeco" loqui liceret tum, cum ludi Graeci ibi fierent,[68]) vereor,

61) Mau l. l. col. 88.

62) Mau l. l. col. 91. cf. Senecae controv. IX praef. 3, Quint. inst orat. X 5, 18 de Latrone.

63) Lange. l. l. p. 351 sqq. — 64) Malal. p. 287. 338 ed. Bonn.

65) Dörpfeld. Athen. Mitt. XXII p. 439 sqq. Hermes XXXVII p. 250.

66) Athen. Mitt. XXVIII. p. 389; talia theatra exstitisse dicit in Asia minore veluti Magnesiae, Prienae, Ephesi.

67) v. 156: ludos Latinos in theatro ligneo, quod est ad Tiberim h. II; Graecos thymelicos in theatro Pompeii h. III; Graecos asticos in theatro, quod est in circo Flaminio h. I. ephem. epigr. VIII p. 233.

68) Athen. Mitt. XXII p. 447 sq.; cf. XXIII p. 326 sqq., ubi adeo dicit genus „Graeco-Romanum" ab architecto theatri Pompeii ipso inventum esse ita, ut theatrum Mytilenense temporis hellenistici quod vocatur coniungeret cum eo, quod Romae erat usitatum.

ne nimium concluserit ex Plutarchi illo testimonio (Pomp. 42) sc. theatri Mytilenensis aspectu Pompeium commotum esse ad suum theatrum exstruendum; quo enim genere id exstruendum curaverit, utrum „Romano" an „Graeco" vel „Graeco-Romano" fecerit, inde non apparet.

Ceterum Doerpfeldius arbitratur sine dubio Vitruvium scripsisse circa annum 17, cum verba eius conferat cum ludis saecularibus anni 17; quae num conferri debeant, minime constare iudicaverim.[69])

Quae ad antiquitates scaenicas pertinent, aptius *tribuam* proximae parti, quare de theatris nihil addendum esse censeo. Pauca tantum liceat de ea re profiteri, quod Vitruvius *de* amphitheatris nihil exponit; quod enim nomen amphitheatri (p. 30, 12) memorat, hoc nullius est momenti; quamquam interpres Vitruvii Britannicus Newtonus[70]) olim contendit, cum Vitruvius de amphitheatris verba faceret, eius aetate amphitheatra Romae nota et pervulgata fuisse; atqui cum Titi demum aetate hoc factum esset, huius temporibus Vitruvium vixisse et scripsisse.

Quod argumentum pluribus de causis absurdum et iam ab Hirtio[70]) refutatum est; quasi Vitruvius semper solam urbem spectaverit! quam quamvis accurate noverit, tamen Italia quoque superior, unde oriundus fuit sine dubio,[71]) bene cognita ei erat, et de inferiore ab auctoribus suis doceri potuit, sicuti h. l. imprimis Graecas urbes Magnae Graeciae spectat, quod cum aliis rebus tum eo probatur, quod de gymnasiis loquitur, quae „non Italicae sunt consuetudinis" (cf. p. 121, 1); atque in multis Campaniae urbibus veluti Pompeiis et Capuae amphitheatra lapidea iam diu exstabant.[72])

Deinde nemo Vitruvium omnino amphitheatra novisse negat (verbum amphitheatri h. l. primum occurrit); prima enim Romae

69) cf. quae contra Doerpfeldium scripsit Ericus Bethe: Hermes XXXIII p. 313 sqq. XXXVI p. 597 sqq.

70) cf. p. 5. — 71) cf. Nissen. Pomp. Stud. p. 109.

72) Friedlaender. Sittengesch. II^{6} p. 558 sqq. Mau „Pompeji in Leben und Kunst" p. 196 sq.

iam C. Curio (anno a. Chr. 53. Plin. N. H. 36, 116) et Caesar dictator (a. 44. Dio 43, 22) exstruxerant;[73]) sed illa ut lignea non diu steterunt. Immo quod Vitruvius de dispositione et conformatione amphitheatri nihil profert, inde colligere nos posse existumo lapideum Romae amphitheatrum nondum fuisse eo tempore, quo scripsit; nam de theatris copiose disputat, cum unum tantum theatrum lapideum tum Romae exstiterit. Atqui amphitheatrum lapideum primum Romae a Statilio Tauro anno 29 (Dio 51, 23) factum est. Quare, si ante hoc tempus scripsit Vitruvius, expeditur, ni fallor, cur et omnino amphitheatra et illud amphitheatrum nobilissimum silentio transierit.

Quae de balneis Vitruvius capite decimo exponit, interpretatione egent, cum non fontibus ea deberi, sed ex Vitruvii ipsius doctrina profecta esse appareat atque certi temporis indicia in eis insint. Neque vero totum caput commentario instrui nostra interest, quare satis habemus provocare ad viros doctos,[74]) qui de hac re accuratius egerunt, atque ea tantum commemorare, quae h. l. in censum veniunt.

Etenim cum balnea iam dudum ante Vitruvium apud Romanos in usu fuerint, id tantum quaeritur, num quaedam inventa eius aetatis propria sint; veluti „testudines alveolorum, quae ex communi hypocausi calefaciuntur" (p. 125, 13 sq) Vitruvii demum temporibus in usum venere et imperatoria demum aetate pervulgata[75]) fuerunt.

Contra suspensurae caldariorum (p. 125, 15) inventae esse dicuntur a. C. Sergio Orata initio primi a. Chr. saeculi (Cic. apud Non. 194, 12; Plin. 9, 168); tepidaria vero num iam illo tempore talibus „balineis pensilibus" exstructa fuerint, disceptatum est a viris doctis, cum Vitruvius nihil de hac re dicat;

73) Friedlaender. l. l. p. 362. 363.[1]

74) Durm l. l. p. 357 sqq. 700 sqq. P-W II 2743 sqq. s. v. Bäder (Mau) Daremberg-Saglio „Dictionnaire des antiquités" I 652 sqq. s. v. balnea. V 348 s. v. hypocausis, alibi.

75) Mau Pomp. i. L. u. K. p. 179. 357 fig. 189. Röm. Mitt. VI 1891 p. 266 sq. P-W I 1704 sq. s. v. alveus. Durm l. l. p. 705. Duhn-Jacobi „Der griech. Tempel in Pompeji" 1889 p. 33. Vitruviana haec notio verbi „testudo" (= halbcylinderförmiger Kessel) in lexicis neglecta est.

Nissenus enim hoc negavit;[76]) sed Mauius, qui de his rebus optime egit,[77]) demonstravit cum suspensuras tepidariorum tum tubulationes parietum et tegulas mammatas [78]) iam liberae rei publicae temporibus notas fuisse.

Laconicum vero (p. 126, 20) dubitaveris, num Vitruvio notum esse potuerit, si ante 31 scripsit, cum Dio (53, 27, 1 ad annum 25) dicat Agrippam primum Romae Laconicum condidisse. Neque tamen est, cur in hac re offendamur, cum Cicero pluribus locis de Laconico loquatur (ad Att. IV 10; ad Qu. fr. III 1, 2) et Vitruvii verba confirmet. Sed ne hoc quidem loco abstinere possum, quin moneam Vitruvium, si post annum 25 scripsisset, quo thermas Agrippa (Dio l. l.) dedicavit, eas vix ita neglecturum fuisse, ut ne nomen quidem hoc commemoraret.[79])

Aptus hic locus videtur ea, quae Vitruvius in libro octavo (cap. 6) de aquae ductibus significat, paucis interpretandi.

Quattuor Romae ante Vitruvium aquae ductus exstructi sunt, aqua Appia (a. 312) Anio vetus (a. 272), Marcia (a. 144 cf. p. 192, 12) Tepula (a. 125).[80]) Anno autem 33, quo Agrippa celebri illa aedilitate functus est, illos ductus „paene dilapsos“ (Frontin. I 9) restituit et aquam Juliam addidit,[81]) eo igitur fere tempore, quo Vitruvium scripsisse putamus.

Neque vero Romae solum, sed etiam in aliis Italiae urbibus, municipiis et coloniis, iam dudum aquae ductus exstabant, quarum celeberrima est aqua Aletriana, quam intra annos a. Chr. 134 et 90 faciendam curavit L. Betilienus Varus (C. I. L. I 1166. X 5807).

Apparet igitur ex eis, quae Vitruvius praecipit de aquae ductibus constituendis, vix quidquam concludi posse.

---

76) Pomp. Stud. p. 152 sq.
77) Pomp. Beiträge p. 149 sqq.
78) Vitr. V. 10, 5; Sen. epist. 90, 25. Nissen. l. l. Vitr. p. 170, 19. Degering. Rhein. Mus. 1902 p. 36 n. 1. Daremb.-Saglio l. l. V 348.
79) cf. Athenaeum n. 3626/7 p. 586.
80) Richter l. l. p. 52.
81) Frandsen „Agrippa“ p. 145/51. De quinaria, quam aut Agrippa aut Vitruvius invenisse dicitur (Front. I 25 Vitr. VIII 6, 4) disputavit Degeringius l. l. p. 22 sq.

Neque Romanas tantum, sed etiam Graecas spectat aquas (cf. p. 208, 19), quippe qui Graecos quoque fontes certe adhibuerit; falsum enim est credere Graecos non aquae ductibus aedificandis operam dedisse.[82])

Itaque castella, immissaria, fistulae plumbeae, tubuli fictiles, specus, putei, lacus, salientes, ea omnia iam in antiquioribus aquae ductibus fuerunt.[83]) Quare ex eis praeceptis, quae ad artem pertinent, nihil elucet de tempore, quo scripta sint; quae vero de administratione et iure aquae Vitruvius significat (VIII 6, 2), ea proxima parte tractabo.

De palaestrarum aedificatione, quamvis non sint Italicae consuetudinis (p. 127, 1) cum Vitruvius agere necessarium duxerit, apparet eum Graecum aliquem fontem secutum esse.[84]) Atque illustrantur eius verba optime et probantur eo gymnasio vel palaestra — illa enim verba Vitruvii aetate idem significabant cf. Varro. r. r. I 554. II praef. 2 — quod Olympiae detectum est.[85]) Sed tamen etiam apud Romanos iam paulo ante Vitruvium palaestrae in usu esse coeperunt, ut ex locis quibusdam Varronis et Ciceronis apparet.[86])

Ad caput XII, quo portuum institutionem describit, nihil notandum est nisi hoc causam fuisse fortasse Vitruvio, cur hoc caput in libros referendum censeret, eam, quod Agrippa paulo ante, sc. anno 37 (Dio 48, 49) portum Iulium aedificaverat;[87]) secutus est autem sine dubio auctores Graecos, qui huius rei peritissimi erant.[88])

82) Fr. Graeber „Die Wasserleitungen von Pergamon." Abh. d. Berl. Akad. 1887. Athen. Mitt. II p. 107 sqq. (Ziller).
Koldewey. Die antiken Baureste der Insel Lesbos p. 65 sqq.
Merckel. Die Ingenieurtechnik im Altertum p. 493/515.

83) Jordan Topogr. II p. 48 sqq. Daremb.-Saglio s. v. lacus. Fabretti, de aquis et aquaeductibus urbis Romae = Graevii thes. ant. Rom. IV col. 1740 de aqua Marcia. — 84) Jahrb. d. Inst. IX p. 191 n.

85) l. l. p. 191 sqq. et Arch. Anz. p. 143 sqq. Curtius-Adler „Olympia" II p. 170 sqq.

86) Cic. Verr. V 185. ad Att. I 10, 3. Varro l. l. v. supra. Nissen, Pomp. Stud. p. 163 sq. — 87) Frandsen l. l. p. 140/5.

88) Strabon V, 3, 8 p. 235: *τῶν γὰρ Ἑλλήνων περὶ τὰς κτίσεις εὐστοχῆσαι μάλιστα δοξάντων, ὅτι κάλλους ἐστοχάζοντο καὶ ἐρυμνότητος καὶ λιμένων καὶ χώρας εὐφυοῦς* . . . Noack Neue Jahrbb. f. Phil. 1898 p. 573.

Sequitur libro sexto descriptio aedificiorum privatorum tam Romanorum quam Graecorum. Domum Graecam Vitruvii, qualem non antiquis temporibus, sed aetate quam vocamus hellenistica in usu fuisse certum est,[89]) Romanos exeunte libera re publica recepisse a Varrone (r. r. II praef. 2) discimus.

Capite octavo pauca de concamerationibus exposuit, quae postea (VII 3) nonnullis additamentis supplentur. Iure miramur, quod non plura de hac re, quam Romani tantopere excoluere, dicit,[90]) praesertim cum in aedificiis a Caesare dictatore paulo ante factis vel incohatis concamerationes exstructas esse constet.[91])

Praeterea in hoc libro percensendo ea tantum quaestio mihi oborta est, utrum ea, quae capite quinto de singulorum hominum et ordinum aedificiis instituendis suadet, referri possint iam ad tempus ante pugnam Actiacam, ex qua luxuriam immoderatam splendidarum domuum exstruendarum vehementer auctam esse constat,[92]) an posterius tempus respiciant. Friedlaenderus quidem putat cum Horatio Tibullo Propertio praecepta Vitruvii, qui eodem tempore scripserit, bene convenire.[93]) Dicit enim Vitruvius VI 5, 2: „nobilibus vero, qui honores magistratusque gerundo praestare debent officia civibus, facienda sunt vestibula regalia, alta atria et peristyla amplissima, silvae ambulationesque laxiores ad decorem maiestatis perfectae, praeterea bybliothecae, pinacothecae, basilicae non dissimili modo quam publicorum operum magnificentia comparatae, quod in domibus eorum saepius et publica consilia et privata iudicia arbitriaque conficiuntur."

Minime vero hinc colligi potest eum scripsisse post pugnam Actiacam, si consideramus iam Sallustium c. annum a. Chr. n. 42 (Cat. 12) loqui de domibus atque villis „in urbium modum

89) Noack l. l. p. 572. Jahrb. d. Inst. VI p. 7 sqq. Springer-Mich.[7] l. l. p. 301.
90) Durm l. l. p. 315. — 91) Springer-Mich. l. l. p. 379.
92) Friedlaender. l. l. III[6] p. 90 sq.
93) cf. Hor. od. II 18, 1—5. 17/9. III 1, 41/6. Epist. I 10, 22. Tib. II 3, 43. III 3, 13 sqq. Prop. III 2, 9 sq. IV 1, 50 sq.

exaedificatis“, Ciceronem de statuis in silva domus Verrinae conditis (Verr. II 19, 51 cf. Nepos „Atticus“ 13, 2), Varronem de bybliothecis, pinacothecis (r. r. III 1 sq), atque si reminiscimur ea, quae de domibus Crassi, Catuli, Aquilii, Mamurrae, Lepidi (Plin. 17, 2. 36, 48 et 109 sq), ipsius Ciceronis[94]) comperimus.

Libro septimo de expolitione, ornatu, cultu aedium privatarum exponens Vitruvius propriae architecturae rationem absolvit.

Capite primo pavimenti genera percenset veluti tessellatum[95]) (1,6 e tessera grandi), sectile, spicatum — de vermiculato, quod iam Lucilius novit,[96]) tacet — capite altero, tertio, quarto operum albariorum rationem explicat, quae inde ab altero a. Chr. saeculo Romae magis usitata erant.[97])

Iam quaerendum est de capite quinto, quo agitur de picturis parietum: qui locus ab omnibus laudatus et tractatus est, qui de veterum pictura scripsere. Loquitur enim Vitruvius de diversis generibus pingendi, quae inde ab antiquorum temporibus (p. 172, 7) adhibita sunt, atque genus suo tempore usitatum vehementer increpat.

Apparet igitur hanc rem accuratius interpretandam esse.

Cum vero Semper[98]) quondam putasset illos „antiquos“ esse Graecos temporis quod vocamus Mycenaeum, quicunque picturis Pompeianis exquirendis operam dabant, brevi intellexere similitudinem quandam intercedere inter ordinem Vitruvianum et eum, quem constituerunt in Pompeianis picturis distinguendis.

Itaque nemo iam dubitare potest, quin genus antiquum Vitruvii idem sit atque Pompeianum, quod floruit Pompeiis, antequam colonia Romana (a. 80) deducta est.[99])

---

94) cf. O. E. Schmidt „Ciceros Villen“. Neue Jahrbb. für Phil. 1899. p. 328 sqq. 466 sqq.

95) cf. Suet. Caes. 46. Marquardt-Mau Privatl. der Römer p. 626^4 sqq.

96) v. 85 M. cf. commentarium Marxii. p. 38 sqq.

97) Varro r. r. I 57. Cic. Verr. I 55, 145; ad fam VII. 29. Lex operum Puteolana 2, 18 (Dessau. Inscr. Lat. sel. II 1 p. 347).

98) Der Stil I^2 p. 460.

99) Mau Pompeji. p. 448 sq. cf. Gesch. d. dekor. Wandmal. i. Pomp. tab. 1/2.

Ab illo tempore floruit genus alterum usque ad aetatem imperatoriam,[100]) cuius duae formae distinguendae sunt, prior scilicet et posterior, quarum Vitruvius illam paragrapho altera describit, hanc paragrapho tertia. Quas Romanis quoque exemplis illustrare licet; etenim prior forma conspicitur in domo antiqua, quae dicitur „Farnesiorum“ [101]) et in villa Liviae, quae erat sita ad Rubras;[102]) sed illa ratio pingendi, in quam vehementer Vitruvius invehitur verbis „nunc iniquis moribus improbantur“ e. q. s (p. 173, 2—10) utrum ad alterum solum genus referenda sit an ad quartum quoque referri possit, ambigitur. [103])

Tamen, cum, quae Vitruvius illius rationis propria esse dicit, in monumentis generis alterius omnia fere occurrant,[104]) una quaedam proprietas in picturis generis quarti non inveniatur,[105]) iure Studniczka [106]) statuit de genere quarto cogitari non posse; quare Vitruvii reprehensionem referendam esse ad posteriorem generis alterius formam, qua singulae partes aedificiorum depictorum velut columnae, trabes, fastigia non ad fidem naturae exprimebantur, sed immoderate extenuabantur et imaginibus cogitatione fictis exornabantur. Neque genus alterum, ut statuit Mauius,[107]) a tertio, quod Alexandriae inventum post pugnam Actiacam Aegypto patefacta in Italiam pervenisse censet, circa Christi natum loco submotum est; quae tam accurate affirmare nos nec posse nec debere Studniczka l. l. monet. Romae autem prima Augusti principatus aetate genus tertium nondum in usu erat; etenim et picturae illae villae Farnesiorum,

---

100) Mau, Pompeji p. 451 sq. — 101) Mon. dell Inst. XI 44. XII 5.

102) Ant. Denkm. I. 11. 24. 60. cf. Nissen Landesk. II. p. 372 sq.

103) Mau, Gesch. d. dek. Wandmal. p. 248. Springer-Mich. l. l. p. 404.

104) „pro columnis calami“ Mau Gesch. . . tab. VIII. M. d. I. XII 23 (Farnesina) — „candelabra . . . figuras“. Mau l. l. tab. VIII. IX. M. d. I. XI 44. XII. 23. 24. 25. — „supra fastigia . . . sigilla“ M. d. I XI 23. XII 18 — „cauliculi . . ✓ capitibus“ M. d. I. XII 19. 23 (Farnesina)

105) „pro fastigiis appagineculi striati cum crispis foliis et volutis‘ M. d. I. XII 5a. 18. 24.

106) Tropaeum Traiani. p. 65 sqq. n. 146. Liberalissime me de hac re referentem adiuverunt et ipse Studniczka et Curtius Wagner sodalis.

107) Gesch. d. dek. Wandm. p. 248. Pompeji p. 455.

quibus usi sumus ad utramque formam generis alterius illustrandam, factae sunt aetate imperatoria ineunte[108]) et ara Pacis annis 13—8 exstructa adeo prioris solius formae picturis ornata est.[109])

Idem, quod de paragrapho tertia exposuimus, cadit[109]) in ea, quae Vitruvius de scaena Apaturii Alabandii narrat; qui quo tempore fuerit nescimus, quamquam viri docti[110]) eum Vitruvio non multo priorem esse ex ipso illo loco collegerunt.

Nihil igitur obstat, quin Vitruvium haec ante 31 scripsisse iudicemus.

Quoniam de aedibus sacris et privatis exposuimus, quae exponenda nobis videbantur, hic locus videtur esse quaerendi, num quid ex eis, quae Vitruvius in universum dicit libro primo et altero de architecturae munere et ratione et de copiis ac materiis, quibus opus ei est, lucrari possimus.

Atque quae docte disserit libro primo, haec omnia fere referenda sunt sine dubio ad auctores Graecos vel ad Varronem, qui ipse quoque Graecis fontibus usus est,[111]) neque certum temporis cuiusdam indicium ex eis capere potui nisi ex rebus quibusdam historicis, quas infra tractabo.

Neque libro altero quae de harena, calce, lateribus pulvere Puteolano,[112]) lapidicinis,[113]) arboribus dicuntur, ullam ansam dant coniecturae, nisi quae ad historiam pertinent.

---

108) W. Helbig „Führer durch die öffentlichen Sammlungen klassischer Altertümer in Rom“ ² II p. 222.

109) Studniczka l. l.

110) P-W I 2681 s. v. Apaturios (Rossbach). Studniczka l. l. p. 67. n. 147.

111) Oder, Philol. Supplem. VII p. 364 n. 184 — Kaibel, Hermes XX p. 611 — Nissen, Das Templum p. 58; 93 sq — P-W II c. 647 (Puchstein) — Thiel, Jahrbb. f. Phil. 1897 p. 366.

112) Wiegand „Die Puteolanische Bauinschrift“ Jahrbb. f. Phil. Suppl. XX p. 711 sqq. cf. Strabon V 4, 6 p. 245: agger, de quo ille loquitur, ante Sullam exstructus est. cf. Beloch „Kampanien“ p. 90.

113) Solo de lapide Tiburtino liceat Jordani verba afferre: Unter Augustus erscheint der Travertin überall; es ist auffallend, daß trotzdem der in dieser Zeit (um 14) schreibende Vitruv den Travertin nicht als das herrschende Material bezeichnet. (Topogr. I ¹ p. 9 n. 12) Quod nescio an nostra argumentatione explicari possit apte.

Sola ea, quae capite octavo de structurarum generibus proferuntur, cum in universum ad diversas aedificandi rationes, quibus diversis temporibus usi sunt Romani, cognoscendas, tum ad tempus, quo ab altera ad alteram transierint et quo Vitruvius haec scripserit, accuratius definiendum multum valeant, interpretatione egent. Sed eam aptius tribuam parti insequenti.

Pars tertia.

De rebus ad historiam et antiquitates pertinentibus.

Hac parte complectar omnia, quae Vitruvius quasi praeteriens, ut exemplis illustret argumentationem, ex historia et antiquitatibus vel publicis vel privatis petita ita significat, ut certi cuiusdam temporis indicia ea exhibere appareat vel demonstrari possit. Ac primum dicam de rebus historiae fide comprobatis.

Commemorantur a Vitruvio municipia nonnulla et coloniae, sc. municipia Altinum, Ravenna, Aquileia (p. 20, 3 sq) Salpia (p. 20, 10; 21) Ferentum (p. 45, 24) colonia Iulia Fanestris (cf. p. 106, 13 sq) Pisaurum, Ancona reliquaque quae sunt in ea regione municipia (p. 60, 10—12). Quaerendum est igitur, quo tempore illae urbes municipia et coloniae factae sint. Atque de municipiis res facile est diiudicatu, cum aut legibus Iulia et Papiria Plautia anni a. Chr. 89 aut certe lege Iulia anni 49 Ferentum,[114]) Altinum,[115]) Aquileia,[116]) Ravenna,[117]) Salapia[118]) in municipiorum numerum receptae sint.

Sed de Salpia plura verba facienda sunt; quaeritur enim, quo tempore id acciderit, quod apud Vitruvium legimus domicilium eos e regione pestifera transtulisse ad mare M. Hostilio

114) Nissen Ital. Landesk. II p. 341.
115) „ l. l. II p. 222. C. I. L. V 2149 (Hülsen).
116) „ „ p. 229 P-W. II c. 319 s. v. „
117) „ „ p. 252 C. I. L. V p. 207.
118) „ „ p. 849 sq. Marquardt Röm. Staatsverw. I² p. 60 sq.

adiutore (I 4, 12) Atqui cum Cicero in oratione de lege agraria altera (27, 71), quam habuit consul, loquatur de Salapinorum pestilentiae finibus, post illud tempus transmigratio facta sit necesse est;[119]) factam autem esse eam ante a. 31 ex certis quibusdam indiciis iure colligere mihi videor. Dicit enim Vitruvius Hostilium ab senatu populoque Romano [comitiis sc. tributis] petivisse, ut liceret transferre oppidum. Atqui cum post principatum institutum omnia, quae ad res municipales pertinebant, a solo principe ordinarentur,[120]) manifestum est principatum nondum fuisse, cum Hostilius magistratum, penes quem arbitrium huius rei erat, de ea consuluit. Quare Vitruvius quoque de ea ante a. 31 scripsisse potest.

Colonia Iulia Fanestris quando deducta sit, dubitari potest; nam coloniae Iuliae vocantur interdum et eae, quas dictator Caesar et quas Octavianus triumvir et quas Augustus princeps deduxere.[121]) Sed ex eis, quae viri docti de coloniis Italiae et imprimis de coloniis Iuliis exposuere, apparet Fanum Fortunae neque ante 42 neque post 27 deductam esse posse; veteranorum autem coloniam eam fuisse constat. Quare aut bello Philippensi aut bello Actiaco confecto deducta sit necesse est, post quae veteranis magnam agri Italici partem adsignatam esse constat. Atqui cum Fanum et Pisaurum, quotiens de rebus bellicis agitur, semper una commemorentur[122]) et Pisaurum una cum Ancona ab Octaviano et Antonio anno 41 veteranis permissum sit,[123]) inde colligere licet Fanum quoque, quippe quod Pisauro vicinum esset, ab isdem veteranis occupatum esse,[124]) unde apparet eam coloniam triumviralem fuisse et ante a. 31 iam exstitisse.

119) Falsa leguntur in Paulyi „Realencyklopädie" 6[1] p. 685 s. v.
120) Marquardt l. l. 2[2] p. 889 sq.
121) Mommsen „Hermes" XVIII p. 161 sqq. P-W IV 524 sqq s. v. colonia (Kornemann).
122) Nissen l. l. II p. 381. 384. cf. Vitr. 60, 11.
123) Appian b. c. V 23. Plut. Anton. 60. Gardthausen I[1] p. 189. Kornemann l. l. coll. 524. 526.
124) Nissen l. l. Kornemann l. l. col. 525. C. I. L. XI p. 924. Mon. Anc. p. 123.

Quod vero illae coloniae etiam municipia nuncupantur (p. 60, 11 sq), hoc nullam praebet offensionem.[125])

Praefecturae, quarum Vitruvius commemorat Statoniensem (p. 45, 17), post bellum sociale institutae pleraeque iuri dicundo serviebant atque aetate imperatoria esse desierunt.[126])

Lemni insulae vectigalia Atheniensibus senatum populumque Romanum concessisse fruenda Vitruvius tradit (p. 176, 20 sq); quod factum videtur esse post bellum Persei bene confectum anno 168.[127])

Faberius scriba, cum in Aventino voluisset habere domum eleganter expolitam, peristylis parietes omnes induxisse dicitur minio, qui post dies triginta facti sunt invenusto varioque colore (p. 178, 20—23). Dubitari autem non postet, quin ille Faberius scriba fuerit Caesaris dictatoris idem, qui Ciceroni magnam pecuniam debebat.[128])

Minii officinas, quae quondam Ephesi fuerint, nunc traiectas esse Romam, ubi exstent inter aedem Florae et Quirini, Vitruvius testatur (p. 179, 9 sqq); libro septimo et decimo quoque de rebus Ephesiacis nonnulla profert memoranda, sc. de lege illa vetusta, quam etiam populi Romani aedificiis publicis et privatis exstruendis constitutam esse concupiscit (praef. 1 et 2), et de basi colossici Apollinis in fano, quam sua memoria vetustate diffractam esse tradit (p. 251, 3 sqq).

Illius legis notitiam quin debeat eidem libro, quem Chersiphron et Metagenes de aede Ephesi quae est Dianae Ionica scripsere (p. 159, 2 sq) quique ei exstitit fons[129]) earum rerum, quas de machina Chersiphronis et Metagenis tradit (X 2, 11 sq) mihi non est dubium. Basis vero quo fere tempore fracta sit, accuratius est examinandum.

---

125) Mommsen. Staatsr. II³ p. 232³ p. 796.
126) Mommsen. Staatsr. III p. 582 (ubi Statoniensem frustra quaesivi) p. 783.
127) Hertzberg, Geschichte Griechenlands unter der Herrschaft der Römer I p. 84⁶⁰.
128) cf. O. E. Schmidt in Comment. Fleckeisen. p. 223 sqq.
129) P-W. III c. 2242 s. v. Chersiphron (Fabricius).

Etenim si Rosius (in apparatu critico p. 248 editionis minoris) recte interpretatur basim Apollinis sc. a. Myrone facti et ab Antonio sublati denuo excidendam locatam esse, quia metuebant Ephesii, ne caderet ea statua, sc. quam „divus Augustus" Ephesiis restituerat tunc denuo erigenda, Vitruvius haec post annum 30, quo Augustus Ephesiorum rem publicam restituit[130]) scripserit necesse est. Res autem ita se habet: Plinius (34, 58) tradit Apollinem a Myrone factum, qui a triumviro Antonio sublatus erat, Ephesiis a divo Augusto restitutum esse. Ephesus enim cum iam anno 129 hereditate Attalica sub Romanorum dicionem venisset,[131]) ex anno 41 demum imperio eorum perpetuo subiecta manebat, [132]) quo Antonius orientis provincias nactus diu Ephesi morabatur et, quamquam simulacrum illud auferendum curabat, tamen benevolum in Ephesios se praestitit.[133]) Augustus vero res Ephesiacas ab eo paulum turbatas anno 30, ut dixi, restituit. Putaveris igitur revera Vitruvium, si haec spectat, ea post illud tempus scripsisse; tamen res minime mihi constare videtur. Etenim statuam illam Apollinis in fano Dianae, de quo antea semper locutus est Vitruvius, positam fuisse recte colligas ex verbis eius, atque scimus Dianam Apollinemque una ibi cultos esse.[134])

Sed longe aliam illius rei memoriam scriptam legimus apud Strabonem, qui haec tradit (XIV 1, 14 p. 637): . . . *τότε ὕπαιθρον ὁμοίως μεστὸν ἀνδριάντων ἐστὶ τῶν ἀρίστων· ὧν τρία Μύρωνος ἔργα κολοσσικὰ ἱδρυμένα ἐπὶ μιᾶς βάσεως, ἃ ἦρε μὲν Ἀντώνιος ἀνέθηκε δὲ πάλιν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ εἰς τὴν αὐτὴν βάσιν τὰ δύο, τὴν Ἀθηνᾶν καὶ τὸν Ἡρακλέα, τὸν δὲ Δία εἰς τὸ Καπετώλιον μετήνεγκε κατασκευάσας αὐτῷ ναΐσκον.* Neque vero de Apolline neque de Dianae aede apud Strabonem res est; neque intellego, cur Vitruvius eam statuam spectavisse putandus sit, quam divus Augustus Ephesiis restituerat, neque eam, quae in basi posita erat, antequam Antonius eam auferret. Hoc solum addam

130) Gardth. l. l. I¹ p. 465.
131) Strabo XIV p. 646. Marquardt l. l. I² p. 334.
132) Appian. b. c. V 4 et 16. Guhl „Ephesiaca" p. 68.
133) Gardth. I¹ p. 184.
134) P-W. II col. 1362 s. v. Apollon (Wernicke).

minii officinas Epheso Romam traiectas esse post annum 129 aut certe paulo post 41.

Vestorius, qui caerulei temperationes Alexandriae inventas Puteolis faciendas instituit (p. 180, 25 sq), aequalis erat Ciceronis et Attici.[135])

Paradoxa aquarum, de quibus iam multi scripsere,[136]) pleraque Vitruvius debet fontibus suis (VIII 3). Nonnulla de sua doctrina videtur addidisse velut de fontibus Ardeatinis et Albula,[137]) (3, 2) de aquis, quae erant in finibus Aequiculorum, Medullorum,[138]) Cottii regis. Persuasum enim est mihi Vitruvium Italiam superiorem, unde oriundum eum fuisse verisimile est (cf. p. 36) et eam partem Alpium, quae ad occidentem et meridiem spectat, bene novisse, quippe qui Massiliae obsidioni ipse videatur interfuisse (p. 14 [7]).

Quod de Cottii regno loquitur, hoc ne abusive quidem dictum esse statuerim.[139]) Regnum enim illud cum anno a. Chr. 15 incolis eius finitimisque bello superatis in praefecturam commutatum esset,[140]) ei, qui Vitruvium c. annum 14 scripsisse putant, in elocutione eius offenderunt. Si vero iure contendimus Vitruvium iam ante a. 31 scripsisse, nihil est, quod reprehendamus. Tum enim rex Donnus ibi regnabat eiusque filii, quorum unus erat M. Iulius Cottius; atque nescio, an Straboni fides habenda sit, qui (IV 6, 6 p. 204) Donni regnum a Cottii regno ita distinguit, ut ambos simul diversis imperii sui partibus praefuisse putaverim. Post autem annum 14 Cottius regis titulum deponere coactus eisdem civitatibus, quae patri eius obtemperaverant, praefectus est; sed Claudius regni nomen restituit. (Dio 60, 24).

---

135) ad Att. IV 17, 1. VI 2, 3. XIV 12, 3; 14, 1. F. Münzer „Beiträge zur Quellenkritik des Plinius" p. 47.

136) Thiel Beiträge f. Wachsmuth. 1897. p. 92 sqq. Oder. Philol. Supplem. VII p. 337 sqq.

137) cf. Münzer l. l. p. 46.

138) Nissen l. l. II p. 152. 461. — 139) C. I. L. V p. 809.

140) Mommsen Röm. Gesch. V 16. Detlefsen „Hermes" XXI p. 534 sqq. Gardth. l. l. II[1] p. 712 sqq. II[2] p. 394 sqq. Nissen l. l. II p. 148 sqq. C. I. L. V 7231.

Pauca verba facienda sunt de terra et aqua mirabilibus, quas Zamae proprias fuisse Vitruvius tradit. (3, 24 sq). Etenim cum apud Plinium (31, 15) qui eadem tradit atque Vitruvius, Varro nominetur, eum communem esse eorum fontem statuit quondam Rosius atque ex illo Vitruvium vel verbum „ego" descripsisse contendit.[141]) Quod iure negavit Oder,[142]) qui monet, etsi rei ipsius notitiam Vitruvius fonti cuidam neque Numidae illius narrationi debeat, tamen verborum ipsorum conformationem item ei tribuendam esse atque commentum, quo Numidam sibi haec narrasse fingit. Sed rem ipsam interpretemur.

De Zamae moenibus a Iuba rege duplicatis convenit inter Vitruvium et auctorem belli Africani (91). Rex ille fuit Juba primus, quem Pompeius quondam regis nomine donavit (Appian. b. c. II 83), qui mortuus est anno a. Chr. 46. C. Julius autem cuius Masinissae filius fuerit, dubitatur; sed de Masinissa, rege Numidiae, qui bello Punico secundo et tertio a Romanorum partibus stetit, cogitari nullo modo potest, etsi annos octoginta sex natus filium creasse dicitur (Polyb. 37, 10 H.). Quare Galiani quondam putavit nomen „Masinissae" corruptum esse ex „Masinthae"; Masintha enim quidam a Caesare dictatore defensus est contra Hiempsalem et Iubam;[143]) sed neque illum neque Masinissam, patrem Arabionis (Appian. b. c. IV 54) conferendos esse censuit vir harum rerum peritissimus omnium, Mommsenus.[144]) Sed cum rem non liquere statuamus, nondum sequitur Vitruvio fidem non habendam esse. Utut autem est, ad tempus, quo scripserit, definiendum nihil refert.

Conlatis omnibus, quae de rebus historiae fide comprobatis dicere e re esse mihi videbatur, iam transeo ad antiquitates perlustrandas.

Ac primum quidem iuris sacri praecepta cognoscimus in eis, quae Vitruvius dicit de ratione, quae intercedat inter

141) Anecdota Graeca et Graecolatina I p. 9. — 142) l. l. p. 351.
143) Suet. Caes. 71. Drumann R.-G. III 185.
144) Hermes XX p. 145 [3].

singulos deos et ordines aedium sacrarum, et de situ illarum aedium intra urbis fines exstruendarum aut extra (I 2, 5—7, I 7). Cum vero verisimile sit eum haec Varroni debere Graecis fontibus uso,[145]) qui semper harum rerum studiosus fuit, absurdum est Vitruvio hoc opprobrio vertere, quod de aede Isidis et Serapis praecepta dat.[146]) Immo cum cultus Isidis antea vetitus a triumviris denuo admissus sit anno 43, quippe qui vel fanum publicum ei constituere vellent, atque Augustus anno 28 tantum aediculas privatas ei intra pomerium fieri prohibuerit edicto, quem secutus Agrippa fines, intra quos eas exstruere non licuit, amplius propagavit anno 21,[147]) ne causa quidem est offendendi, cum Vitruvium haec ante a. 31 scripsisse statuamus. Totum autem caput septimum ex Varrone haustum redire ad disciplinarum scripturas Etruscorum haruspicum (p. 30, 14) sc. ad libros rituales (cf. Fest. p. 285 M) recte coniecit Deeckius.[148]) Atque Romanam et Graecam rationem mixtam videmus illo capite; Graecorum enim deorum opiniones spectat praeceptum illud, quo Vulcani, Veneris, Cereris fana extra pomerium conlocantur; [149]) contra Martem extra pomerium adorari proprium fuit veterum Romanorum.[150])

Iam sequuntur, quae iuris civilis sunt. Architectus enim „iura quoque nota habeat oportet ea, quae necessaria sunt aedificiis communium parietum ad ambitum stillicidiorum, et cloacarum, luminum, item aquarum ductiones“ (p. 7, 3—6). Iura, quae Vitruvius h. l. spectat, a iure consultis servitutes appellantur (cf. L 1 Dig. VIII de servitutibus); quarum pluri-

---

145) Thiel Jahrbb. f. Philol. 1897. p. 366.

146) Heiberg „Revue de philol.“ 1897 Revue des revues p. 146: et les règles architectoniques qu'il donne — I 7, 1 où le culte d'Isis est regardé comme indispensable à une ville — ne s'accordent qu'avec les monuments d'un temps bien postérieur à Auguste. Berl. Philol. Wochenschr. 1897. col 779.

147) Wissowa, Religion u. Kultus d. R. p. 293.

148) Müller-Deecke. Etrusker II p. 150 n. 85.

149) Müller-Deecke. Etrusker II p. 11. de Marte aliter iudico.

150) Serv. ad Aen. I 292. Wissowa l. l. p. 133.

mas iam post incendium Gallicum institutas esse verisimile est;[151]) certe quidem eae, quas Vitruvius memorat, omnes Ciceroni notae fuere.[152])

Quae Vitruvius de iure aquae significat (VIII 6, 2) accuratiore interpretatione egent. Dicit enim: „item e medio ponentur fistulae in omnes lacus et salientes, ex altero in balineas, ut vectigal quotannis populo praestent, exque tertio in domos privatas, ne desit in publico. non enim poterunt avertere, cum habuerint a capitibus proprias ductiones. haec autem quare divisa constituerim, eae sunt causae et [sic optime Rosius] uti qui privatim ducent in domos vectigalibus tueantur per publicanos aquarum ductus.“ Quod Vitruvius his verbis testatur suo tempore aquam tripartito ductam esse, ad usum publicum in omnes lacus et salientes,[153]) ad usum vel publicum vel privatum in balineas, ad usum privatum in domos, ea optime confirmantur testimonio Frontini (2, 94): sequitur ut indicemus, quod ius ducendae tuendaeque sit aquae: quorum alterum ad cohibendos intra modum impetrati beneficii privatos, alterum ad ipsorum ductuum pertinet tutelam. In quibus dum altius repeto leges de singulis perlatas, quaedam apud veteres aliter observata inveni: apud quos omnis aqua in usos publicos erogabatur et cautum ita fuit: ne quis privatus aquam aliam ducat quam quae ex lacu humum accidit (haec enim sunt verba eius legis) id est quae ex lacu abundavit: eam nos caducam vocamus. Et haec ipsa non in alium usum quam in balnearum et fullonicarum dabatur: eratque vectigalis statuta mercede, quae in publico im-

151) Karlowa. Röm. Rechtsgesch. II p. 514.

152) iura stillicidiorum parietum luminum de or. I 38, 173. de legg. I 4, 14. II 19, 47. Top. 5, 27. aquae ductus pro Caec. 26, 74 cf. Leonhard. in Wissowae lexico s. v. Fest p. 344 M.

153) de eis docte egit Jordanus Topogr. II p. 48 sqq; lacus est „lacuna magna, ubi aqua contineri potest“ (Varro l. l. V 26. cf. Liv. 39, 44, 5); omnis aqua, quae per aquaeductus in urbem immittitur, aqua saliens est, quae in publico salit (Front. 2, 97); salientes igitur ductus secundarii sunt, qui per fistulas et tubos aquam in lacus similiaque opera effundunt e. q. s. cf. Daremb.-Saglio l. l. s. v. lacus.

penderetur[154]): aliquid et in domos principum civitatis dabatur concedentibus reliquis."

Quodsi quaerimus collato loco Frontini, num Vitruvii illa verba scripta esse possint iam ante a. 31, cum de lacibus et salientibus hoc constet (cf. p. 39; 51 [153]), primum de balneis quaedam addenda sunt, quae supra (p. 37 sq) consulto omisimus.

Balnea igitur cum iam Catonis temporibus Romae exstarent, quibus praeerant aediles (Sen. epist. 86, 10), Agrippa aedilis anno 33 gratuita praebuisse populo non minus CLXX traditur[155]) (Plin. 36, 121); antea enim balnea aut publice aut a privatis in usum publicum instituta[156]) locabantur atque conductor rei publicae vel possessori certam pecuniam solvere coactus erat; hoc est vectigal illud, quod quotannis balinea populo praestent (p. 207, 10). Quare ab eis, qui balneis utebantur, balneaticum exigebatur, quod quadranti stetisse notum est.[157])

Frontinus 2, 98 dicit primum M. Agrippam post aedilitatem, quam gessit consularis, operum suorum et munerum velut perpetuum curatorem fuisse: „qui iam copia permittente descripsit, quid aquarum publicis operibus, quid lacibus, quid privatis daretur; habuit et familiam propriam, aquarum quae tueretur ductus atque castella et lacus." Falso inde conclusit v. d. Garrucci Agrippam primum auctorem fuisse aquae privatis

154) cf. Lanciani, I Comentarii di Frontino intorno le acque e gli acquedotti etc. Atti dei Lincei 1880 p. 602: Può credersi che questi canoni . . . durassero anche sotto l'impero . . . Ai medesimi canoni accenna Vitruvio con le parole „ex altero . . . . praestent [p. 129]. Par certo che anche coloro i quali impetravano acqua da Cesare dovessero pagare una tassa proporzionata al volume impetrato cf. Vitr. haec autem — aquarum ductus p. 207, 13—15. Lanciani haec scripsit, si recte eum intellego, ea sola de causa, quod Vitruvium posteriore aetate scripsisse putat quam nos probamus.

155) Mau in Wissowae lexico II col. 2747.

156) Cic. de orat. II 223. Front. 2, 107: balneis, quae publice lavarent, privilegium antiquitus concessum, ut semel data aqua perpetuo maneret.

157) Quare Cicero (pro Cael. 26, 62) Clodiam quadrantariae nomine compellat. cf. Mau l. l. col. 2749. Marquardt l. l. 2² p. 100⁶. Daremb.-Saglio I p. 687 s. v. „balneare". De vectigali cf. lic. de leg. agr. III 2, 9: ego Tusculanis pro aqua Cabra vectigal pendam. C. I. L. X 4842 (scriptum ante 11): quaeque aqua in oppidum Venafrorum it fluit ducitur, eam aquam distribuere vendundi causa aut ei rei vectigal imponere . . . cf. Mommsen, Zeitschr. f. geschichtl. Rechtswissensch. XV p. 316 sq. 325.

dandae.[158]) Immo ex loco supra laudato Frontini (2, 94) apparet nonnullis privatis aquam ut in domos ducerent antiquitus permissum esse, sc. principibus civitatis „concedentibus reliquis, qui in unoquoque vico habitabant“; [159]) quamquam imperatoria demum aetate „aquam in usus privatos deducere“ unicuique concessum est; qui „impetrare“ eam debebat et a principe epistolam ad curatorem adferre.[160]) Sed de his rebus Vitruvius nihildum scire potuit, quippe qui scribat „uti, qui privatim ducent in domos vectigalibus tueantur per publicanos aquarum ductus.“ Magnopere enim providebatur, ne quis violare ductus aquamve non concessam derivare auderet (Front. 2, 97) atque tutela singularum aquarum locari solita est positaque redemptoribus necessitas certum numerum circa ductus extra urbem, certum in urbe servorum habendi opificum (Front. 2, 96). Ex his Frontini verbis apparet penes publicanos, sicuti Vitruvius dicit, aquarum ductus tutelam fuisse libera re publica. Etenim quibus publice aliquid faciendum locatum est, ei redemptores vel publicani vocabantur;[161]) qui publicani iam inde a regum Romanorum temporibus exstabant [162]) atque societatibus congregati [163]) etiam aquae ductibus aedificandis [164]) operam dabant.

Itaque ei vectigali quod solutum est pro usu fructu aquae ipsius [165]) id addere licet, si Vitruvium („uti . . . vectigalibus tueantur per publicanos aquarum ductus“ p. 207, 14 sq) recte interpretor, quod penderetur pro tutela aquaeductuum.

Satis autem apparuit, credo, ex hac interpretatione paulo copiosiore non solum Vitruvium de iure tuendae ducendaeque

158) Lanciani l. l. p. 594: da questo passo (2, 98) il Garrucci (Venafro p. 35) deduce, che „le distribuzioni ai privati (furono) introdotte in Roma da Agrippa: interpretazione che mi sembra illegittima. Agrippa fece soltanto la statistica delle acque urbane . . — 159) Front. 2, 97. Lanciani p. 593.

160) Front. 2, 103; 105. Hirschfeld „Die kaiserlichen Verwaltungsbeamten bis auf Diocletian.“ p. 273 sqq.

161) C. G. Dietrich Beiträge zur Kenntnis des römischen Staatspächtersystems. Leipzig 1877. p. 59.

162) l. l. p. 9. — 163) p. 15. — 164) p. 52.

165) l. l. p. 43. publicanos Vitruvius etiam commemorat p. 145, 23 et 179, 12.

aquae potuisse illa scribere ante 31, sed etiam aptius scripsisse illo tempore quam postea.

Duobus locis (VI praef. 6 sq. X praef. 2) Vitruvius de architectis Romanis loquitur et tam multos architecturam queritur exercere artis, quam profiteantur, non peritos; quare saepe patres familiae, qui eis aedes privatas exaedificandas locent, magnam iacturam facere, cum architecti constitutam pecuniae summam multum excedant; itaque laudat patres familiarum, „qui litteraturae fiducia confirmati per se aedificantes ita iudicant, si imperitis sit committendum, ipsos potius digniores esse ad suam voluntatem quam ad alienam pecuniae consumere summam" (p. 133, 28 sqq). Atque exercebant Romae antiquitus architecturam non solum architecti, qui eius artis studio dediti fuerant, sed et servi et libertini et cives Romani quicunque volebant;[166]) quare facile expeditur, quod saepe Romae domos et insulas male exaedificatas corruisse legimus. Leges autem aedium, quibus constitutum erat, quomodo et qua materia, intra quod tempus aedificium a locatore conductum exstruendum esset, vel quomodo et quando locator praestare pecuniam deberet (X praef. 2) iam libera re publica exstitisse constat.[167])

Iudicia suo tempore non solum in basilicis et foro (cf. p. 35), sed etiam domi habita esse Vitruvius testatur p. 146, 1; quare in domibus nobilium basilicas „non dissimili modo quam publicorum operum magnificentia" comparandas esse, „quod in domibus eorum saepius et publica consilia et privata iudicia arbitriaque conficiuntur". Qui mos quamquam sub imperatoribus demum invaluit,[168]) tamen iam Caesarem Deiotari causam

---

166) Ruggiero diz. epigr. p. 643/7 s. v. architectus. Friedlaender. Sittengesch. III p. 303 sq. Brunn, Griech. Künstlergesch. II p. 334 sqq.

167) Rein, Das röm. Privatrecht u. der Zivilprozeß.[3] 1858 p. 718/21. Karlowa, Röm. Rechtsgesch. II p. 649 sq. Wiegand, Puteol. Bauinschr. Jahrbb. f. Phil. Suppl. XX p. 678/90.

168) cf. L. 1. D. XII t. 40. l. 4 D. IV t. 18. l. 1 D. XL t. 54. Hess ad Taciti dialogum c. 39. Keller-Wach. Röm. Zivilprozeß p. 12 sq.

intra domesticos parietes cognovisse ex ipsa Ciceronis oratione (§ 5) comperimus.[169])

Iam scaenicas antiquitates quae spectant, paucis comprehendam.

Multa theatra quotannis Romae facta esse et Vitruvius affirmat (p. 116, 8) et aliunde notum est; lignea nimirum erant et ne post Mummium quidem, qui Corintho reversus primus theatrum Graeco more sedibus ornatum – antea plerique spectatores Romae steterant – exstruxit sc. ligneum,[170]) theatra diutius stare solebant quam opus eis erat. Neque sub imperatoribus mos lignea tabulata exstruendi prorsus evanuit.[171])

Citharoedi autem, quos Vitruvius dicit theatris ligneis cecinisse, iam exeunte libera re publica prodire solebant Romae.[172])

Scaenae picturam (V 6, 8 sq) primus instituisse aut excoluisse dicitur Claudius Pulcher, aedilis anni a. Chr. 99,[173]) atque iam quadraginta annis post (a. 58) M. Aemilius Scaurus, quamquam theatrum illud temporarium et vix uno mense futurum erat (Plin. 36, 5), scaenam splendidissimam columnatam tabulis pictis et omni luxus et apparatus genere ornatissimam exstruxit. (Plin. 36, 114).[174])

Foro ludos gladiatorios dari solitos esse[175]) Vitruvii temporibus apparet ex praefatione libri decimi (§ 3); quod primum factum esse Romae traditur anno a. Chr. 205 neque ibi solum, sed etiam aliis in urbibus in usu fuisse (Liv. 23, 30;

169) non Ligarii, ut statuit Hessius l. l., nam cf. § 37: fac igitur, quod . . . nuper fecisti in curia, nunc idem in foro (Cic. pro Ligario § 37).

170) Tac. ann. XIV 20 sq. Ritschl, „Parerga zu Plautus u. Terenz" p. 226 sq. cf. Vitr. p. 116, 20 sq.

171) Suet. Caes. 39. Aug. 43. Dio 61, 17. Joseph. antiqu. Jud. XIX § 90. Marquardt l. l. III² p. 531.

172) Marquardt III² p. 554 n. 2, 3; ubi locus Vitruvianus addendus est, si nostra sententia probatur. Friedlaender. l. l. III⁶ p. 354. Auctor ad Herennium (IV 47 p. 362 Marx) Graeco videtur fonti debere nomen citharoedi.

173) Plin. 35, 23. Marquardt l. l. p. 547.

174) Jahrb. d. Inst. XI Archäol. Anz. p. 28 sqq. cf. X Arch. Anz. p. 166 sq. XV p. 62.

175) Marquardt l. l. p. 556. Becker, Topogr. p. 325.

31, 50; 38, 46; 41, 33) Atqui cum post amphitheatra instituta in illis munera gladiatoria dari solerent, quorum primum ligneum Caesar anno 44, lapideum Statilius Taurus anno 29 exstruxit (p. 37), minime colligas licet Vitruvium, cum hoc scriberet amphitheatra nondum novisse et ignorasse in illis ludos gladiatorios fieri; nam etsi Plinius tradit (15, 78) munus gladiatorium novissime in foro datum esse ludis funebribus divi Iuli,[176] tamen etiam post illud tempus, cum iam amphitheatra Romae exstabant, illa interdum edita esse constat in foro.[177] Immo quod Vitruvius de sedibus spectaculorum[178] loquitur atque spectacula antiquiore aetate vocabantur amphitheatra, inde conieceris eum h. l. de ipsis amphitheatris cogitasse, sc. de ligneis Curionis et Caesaris, in quae notio illa spectaculi optime quadrat.[179]

Tamen, si haec omnia complector neque id neglego translatos esse ludos gladiatorios primum, cum Statilius Taurus amphitheatrum lapideum exstruxisset,[180] non negaverim Vitruvii verba aptius sic accipienda esse, ut putemus eum haec scripsisse antequam Statilius amphitheatrum aedificaret eo commotum, quod paulo ante lignea et temporaria amphitheatra Curionis[181] et Caesaris aedificata esse videbat. Quacum coniectura convenit, quod dicit q u o t a n n i s e t p r a e t o r e s e t a e d i l e s ludorum causa machinationes praeparare debere (p. 243, 18 sq). Nam etsi etiam postquam theatrum et amphitheatrum lapideum exstabant, „quotannis" theatrum exstructum est ligneum in usum ludorum Palatinorum,[182] tamen „quotannis" praetores et aediles ludos edere dici non potuit nisi ante a. 22. Etenim usque ad illum tantum annum cura ludorum, imprimis Romanorum et plebeiorum, penes aediles fuit, cum ex illo tempore praetores, qui antea

---

176) cf. Gardth. l. l. I¹ 54. II¹ 23²³.

177) Dio 55, 8. Suet. Tib. 7. Ovid, Ars Am. I 163.

178) velorum inductio (Vitr. p. 243, 9 sq.) inventa est a Q. Catulo anno 78. Plin. 19, 23. Lucr. IV 73. Prop. IV 1, 15.

179) Nissen. Pomp. Stud. p. 108 sqq. — 180) Becker l. l. p. 325.

181) de eo dubitari potest, an fabula a Plinio (36, 117) tradita inventa sit, ut nominis origo explicaretur.

182) Joseph. antiq. Judaic. XIX § 90 de ludis Palatinis *πηκτὸν δὲ ἐγένετο (τὸ θέατρον) κατὰ ἕκαστον ἐνιαυτόν.*

solos Apollinares et minores ludos ederant, omnibus ludis praeessent atque aediles ludos non nisi voluntarii atque rarissime curarent (cf. Dio 54, 8; vita Gordianorum 3). Habemus igitur duas coniectandi ansas, unam, qua Vitruvium haec ante 29, alteram, qua ante 22 scripsisse probatur, quas ita coniungimus, ut statuamus eum scripsisse ante pugnam Actiacam.

Adeo denique ad ea interpretanda, quae Vitruvius libro altero de structurarum generibus exponit (cf. p. 44), unde facile nos transitum parare posse adparebit ad caput quartum et ad totam dissertationem absolvendam.

„Structurarum genera sunt haec, reticulatum, quo nunc omnes utuntur et antiquum, quod incertum dicitur“ (p. 46, 18 sq). Atque cum ex totius capitis argumento tum ex verbis, quae sequuntur initio paragraphi tertiae[183]) — prima et altera de opere reticulato et antiquo disputatur — recte colligere mihi videor Vitruvium ab initio ea potissimum referre et praecipere, quae urbis Romae propria fuere. Deinde quod dicit „quo nunc omnes utuntur“ inde apparet eum non solum monumenta publica, sed etiam aedes privatas spectare. Romae igitur eo tempore, quo Vitruvius scripsit („nunc“!), illae opere reticulato exstrui solebant. Atqui consideres velim opus reticulatum perraro inveniri in structura testacea[184]): immo postea haec loco illius substituta est atque tum demum in usum vulgarem pervenit, cum opere reticulato uti desierunt,[185]) (cf. vero p. 59[190]) quare iure dicas in universum nihil esse commune structurae testaceae cum opere reticulato. Nondum igitur pervulgata fuit structura testacea Vitruvii temporibus neque prorsus accurate nonnulli viri docti[186]) pro certo sumunt Augusti (h. e. Vitruvii) aetate transisse Romanos a structura latericia — de qua postea agam — ad testaceam. Quod etiam aliis cum Vitruvii tum

183) „id autem licet animadvertere etiam de nonnullis monumentis, quae circa urbem facta sunt“; antea igitur de urbe ipsa dixit.

184) Nissen, Pomp. Stud. p. 59. Mau, Pomp. Beitr. p. 9. Pompeji i. L. u. K. p. 32. Blümner, Technologie III p. 148.

185) Jordan Top. I p. 22.

186) Nissen Landesk. II. p. 529. Blümner l. l. p. 12 n. 4. Jordan l. l. p. 16.

aliorum, qui post illos scripsere, iudiciis redarguitur. Quae enim Vitruvius de communibus parietibus § 8 dicit non ad testaceos, sed ad caementicios parietes, quos tum in usu fuisse ex toto rerum contextu apparet (cf. p. 60), pertinent, atque rectissime Degeringius ad verba Vitruvii de structura testacea facta (§ 17 sq) haec adnotat[187]: Vitruv beschränkt die Verwendung der structura testacea auf Pfeiler und einen oberen Schutzrand für Luftziegelmauern [§ 18], während er den Backsteinmauerbau nur mit vorsichtiger Reserve empfiehlt. Dicit enim Vitruvius nihil aliud nisi haec: „itaque pilis lapideis, structuris testaceis, parietibus caementiciis altitudines .... exstructae .. ad summam utilitatem perficiunt dispertitiones" (p. 52, 22 sq) h. e. tali modo si aedificia complurium cenaculorum exstruxeris, uberrimum inde fructum capias. Sed hanc aedificandi rationem iam illo tempore pervulgatam fuisse perperam colligas ex his verbis. Huc alia accedunt; dicit enim idem v. d. Degering: Im römischen Ziegelwerke kommt vor der 2. Hälfte des 1. Jahrh. n. Chr. Mauerziegel nicht vor .... wo man Retikulat mit Ziegelpfeilern antrifft, wie z. B. neben der nova via, in der sog. domus Gelotiana und dem oberen Teile der domus Liviae, da kann man dieses Ziegelwerk bestimmt nicht über die 1. Hälfte des 1. Jahrh. [sc. a. Chr.] heraufrücken ... der Dreiecksziegel ist kaum früher als das 2. Jahrh. — Im Großen und Ganzen ist das römische Ziegelmauerwerk immer beim Ziegelgußwerk geblieben. Laterum quoque notis signatorum, qui Romae et circa Romam inventi sunt, paucissimi tantum vetustiores videntur esse saeculo p. Chr. primo.[188])

Quare statuo Vitruvii temporibus parietes aedium privatarum non e lateribus coctis exstructos esse et ne ita quidem, ut fartura caementicia structura testacea induceretur, [189]) sed e

187) Rhein. Mus. 1902. p. 34 sq.
188) C. I. L. XV 1. 824. 840. 886. 1322 sqq. praef. p. 9.
189) Blümner. III p. 149: z. Z. Vitruv's waren die meisten Privathäuser in Rom so hergestellt, daß die Bruchsteine mit Backsteinfuttermauern versehen und mit Hausteinkanten eingefaßt waren (Vitr. II 8, 17 p. 32, 23.)

caementis tantum atque imprimis opere reticulato; si modo iam illo tempore testis usi sunt in aedificiis privatis, eodem modo hoc factum est, quo Pompeiis,[190]) ut parietes caementicii cingerentur pilis et angulis testaceis.

Quod iudicium etsi non prorsus novum est, tamen fructum aliquem inde nos capere arbitror, quod accurata verborum Vitruvianorum interpretatione id confirmatur, quod e rebus ipsis[191]) aliqua cum probabilitate colligere iam licuit.

Opere autem antiquo Romani usi sunt usque ad Sullae tempora in monumentis publicis — ubi etiamnunc cognoscitur — et fortasse in fundamentis privatarum aedium,[193]) cum ipsae non e caementis, sed e lateribus crudis (cf. p. 67 et n. 13) fierent. Ex Sullae aetate opus reticulatum in usum vulgarem venit[194]) atque etiam in aedificiis privatis exstruendis a latericia structura ad caementiciam (sc. opus reticulatum) transire coeperunt, cuius transitus aetatem ne plane quidem praeterisse ex toto capite Vitruviano apparet. Quare id quoque mihi persuasum est Vitruvium, quae in § 1—4 exponit, non ex fontibus quibusdam hausisse, sed ex sua ipsius scientia et doctrina petivisse. Nam insunt in his ea ipsa, quae ad Romam pertinent neque ante eum dici potuerunt, quia ipsum Vitruvii tempus spectant.

De sequentibus structurarum generibus nihil est notandum, quod certi cuiusdam temporis indicium exhibeat. Septem igitur genera postquam Vitruvius proposuit, suadet (§ 8), ut in uno eligendo perpetuitatis et firmitatis habeant rationem. Quod vero monet, ne structuris e molli caemento subtili facie venustatis effectis nimiam habeamus vetustatis fidem, recordabi-

---

190) Nissen, Pomp. Stud. p. 27: in P. kommen Gebäude, die durchweg aus Backstein sind, nicht vor. Die fortlaufenden Mauern wurden aus Bruchsteinen errichtet und nur Ecken, Kanten und Pfeiler mit Ziegel eingefaßt.

191) cum aedificia privata maximam partem perierint, bonae fortunae tribuendum est, quod in duobus, quorum reliquiae etiamnunc exstant — domum Liviae et Gelotianam dico (supra p. 58) — invenitur opus reticulatum cum pilis testaceis coniunctum; tribuendae enim sunt illi aetati vel statim sequenti; sed has domus fuisse, non insulas ne obliviscaris.

192) Lanciani „Ruins and excavations“ p. 45.

193) M Voigt. Röm. Privataltertümer² p. 312. — 194) Lanciani l. l.

mur eum antea laudasse venustatem operis reticulati (p. 46, 20) atque de eo imprimis cogitabimus. Sed cum pergat· „itaque cum arbitri communium parietum“ e. q. s. iure concludemus fuisse illo tempore haud paucas communes parietes e caementicia structura (sc. opere reticulato) factos Romae; quin apparet iam per aliquod tempus eos in usu fuisse, cum Vitruvius haec scripsit; nam experti iam erant tum Romani, quam ruinosi fierent illi parietes vetustate tacti (cf. p. 46, 20 sq) Novum igitur h. l. testimonium habemus (cf. p. 57 sq) Vitruvii temporibus caementicios parietes in usu fuisse Romae atque, si meminerimus ea, quae supra exposuimus, iam affirmare licebit aedes privatas illo tempore imprimis e caementis exstructas fuisse. Ceterum h. l. tantum de domibus privatis cogitari debet, non de insulis, ut postea videbimus.

De re autem ipsa, quam Vitruvius spectat § 8, h. e. de arbitrio communium parietum, quam etsi iuris civilis est non supra, ubi de eo agebam, sed h. l. explicare malui, quia cum toto rerum conexu arte coniuncta est, docte disseruit Karlowa,[195]) qui textum a Rosio receptum „et ita ea (‚ex‘ codd.) reliqua summa pacta (‚parte‘ codd.) reddi pro his parietibus sententiam“ ita commutavit, ut scriberet „et ita ex reliqua summa partem reddi pro his parietibus sententia“ e. q. s.; quae emendatio mihi egregia videtur esse et optime cum iuris civilis[196]) tum grammaticorum praeceptis convenire. Interpretatur enim ita: Durch das Urteil, daß von der Restsumme ein Teil (nämlich der Anteil des anderen Miteigentümers der Wände) für diese Wände gegeben werde, sprechen sie (implicite) aus, daß

195) l. l. II p. 521 n. 3; atque ille quidem solus, quantum scio, interpres loci exstitit.

196) Ut melius intellegas, exemplum tibi propono: stat paries in locationibus DCCC; viginti annis postquam structus est, unus e vicinis eum demolitur vel alio modo ruinosus fit. Tum alter vicinus, qui hac re iacturam facit atque actionem damni infecti instituit (l. 2. D. XXXIX t. 37. 39) pretium accipere debet, atque arbitri a tota summa (DCCC H S) „deducunt pretio praeteritorum singulorum annorum octogensimas“ h. e. 10 × 20 = CC H S, ut restent DC H S; atque eorum partem — dimidium fortasse — illi reddunt.

diese keine über 80 Jahre reichende Dauer haben können. Ita igitur si legimus, a „sententia“ pendet infinitivus „reddi“, a „pronuntiant“ „durare“, atque „partem“ optime dicitur rei ipsius causa, quia non tota summa, quae reliqua est, sed pars sola eius vicino danda est. Neque in verborum conexu opus est offendere apud Vitruvium, quippe qui sermonis vulgaris scriptor sit. Sic igitur ea, quae Vitruvius dicere vult, magis etiam dilucida erunt. Recte etiam habet, quod de „arbitris“ loquitur, cum alias unus tantum arbiter constitui soleat. Etenim iam antiquitus actioni finium regundorum tres arbitri constitui solebant,[197]) atque simile quid statuere licebit in hac re, quae et ipsa quodammodo ad fines pertinebat.

De § 9—17 Nissenus[198]) ita iudicat: Die lange Lobrede, die Vitruv II 8, 9—17 dem Bau mit Luftziegeln hält, ist ein Echo aus griechischen Quellen: merkwürdig zugleich für die sklavische Abhängigkeit des Mannes von seinen Quellen und für die Beschränktheit seines Blicks, wenn man bedenkt, daß er . . . die ersten Schöpfungen des Backsteinbaues erlebt hat. Quae de fontibus Graecis dicit, procul dubio poterunt comprobari; nam et illa Graecis auctoribus deberi manifestum est et ea, quae antea § 5—8 exposuit, exceptis eis, quae de rebus Romanis addidit de suo (p. 48, 8—14; 22 sq; p. 49, 13 sq). Contra ultima Nisseni verba paululum corrigenda esse spero fore ut hac dissertatione appareat.

Dubitari non potest, quin Vitruvius h. l. loquatur de latericiis structuris, non de testaceis; igitur monumenta quoque illa, quae affert, e lateribus facta erant, atque miror, quod nunnulli viri docti eum h. l. falso intellexerunt.[199]) Exempla vero Vitruviana Graeciam vel Asiam minorem spectant neque interpretatione egent h. l. praeter unum Romanum. Dicit enim (p. 49, 8 sq) „in Italia Arretio vetustum egregie factum murum“

197) Cic. de legg. I 55. Keller-Wach. Röm. Zivilprozeß p. 34. n. 107. Leonhard in Wissowae lexico I col. 689 sqq s. v. aestimatio.

198) Pomp. Stud. p. 25.

199) Recte iudicant Blümnerus l. l. II p. 9 n. 4. Degeringius p. 34. Nissenus Pomp. Stud. p. 25.

esse. Ubi etiamnunc exstat murus, neque vero e lateribus, sed e lapidibus quadratis factus. Itaque Nissenus putat murum latericium exstructum esse Tuscis temporibus, cum urbs amplificaretur atque postea propter fragilitatem materiae et repetitas destructiones evanuisse.[200])

De aedilitate Varronis et Murenae, quam commemorat p. 49, 14, quamquam nihil aliunde scimus, tamen non est, cur dubitemus; Murena vero non is videtur esse, quem Cicero oratione illa defendit, sed alius quidam.[201]) Quod ad rem ipsam attinet (p. 49, 11—14: „Lacedaemone e quibusdam parietibus etiam picturae excisae intersectis lateribus inclusae sunt in ligneis formis et in comitium ad ornatum aedilitatis Varronis et Murenae fuerunt adlatae") satis aliunde scimus Romanos nobiles atque imprimis magistratus non puduisse statuas, picturas, vasa, denique omne genus artis operum secum e Graecia asportare ad suam patriam exornandam, id quod in Graecia quoque nemo audacius commisit quam Verres ille notissimus.[202]) Quod cum ne inhonestum quidem haberetur, cur Varronem, hominem alias integrum atque probum, non fecisse credamus, nullam habemus causam. Atque si quaerimus, ad quid ornandum — nam comitium ipsum area erat pluribus aedificiis circumclusa — illi picturas Romam afferendas curaverint, memineris e. c. curiam, quae ad comitium sita erat, a Sulla paulo commutatam et amplificatam esse, qua re nonnulla artis monumenta tollere opus erat; unde studium illorum aedilium, quorum aedilitas non ita multo post Sullae aetatem fuisse potest, aedificium illud denuo exornandi colligas.

Postquam satis ample de Graecorum latericiis monumentis publicis egit Vitruvius atque, sicuti mos eius est, fabulis quibusdam lepidis orationem adornavit, tandem transit ad latericiae structurae apud Romanos usum (§ 16 sqq); sed cum eiusmodi aedificia publica Romana neque antea nominaverit

200) Nissen Landesk. II p. 317 sq. Durm Bauk. der Röm. p. 20.
201) cf. praefationem edit. Halmii § 4. cf. prosopograph. imp. Rom. s. v.
202) cf. Hertzberg, Gesch. Griechenlands u. d. Herrsch. d. Röm. I, p. 424 n.

neque nunc commemoret, inde iure colligas illa Romae perrara fuisse.[203]) Neque vero omnino nunc (§ 16 sqq) Vitruvius de monumentis publicis verba facit, sed de aedificiis privatis, immo de insulis exponit, quomodo exstruendae sint. Sed eam rem proximo capiti tribuendam esse censeo. Nihil igitur restat nisi ut pauca de ultimis paragraphis capitis alterius dicam.

Ex eis, quae § 18 de usu structurae testaceae cum latericia coniunctae praecipit, iterum intellegimus eum, ubi fieri potest, de structura latericia minime recedi velle atque testaceae usum, cui nondum fidem habet, cohibere, quantum fieri potest. Conferas velim hoc quoque, quod alio loco (VI 8, 9), ubi dicit in domini esse potestate, quali structura velit aedificare (p. 154, 10 sqq) structuram testaceam omnino non commemorat. Quibus omnibus confirmatur, quod supra posuimus, (p. 57) illius aetate structuram testaceam nondum in usu fuisse.

In eo, quod § 19 Vitruvius praecipit de testa in tecto conlocanda, offenderunt olim nonnulli veluti Schultzius et Ussingius. Praeceptum autem illud quamquam mirum est tamen satis mihi videtur explicasse Degeringius,[204]) quare non habemus, cur de Vitruvii auctoritate dubitemus.

Parietes craticios[205]) (§ 20) Vitruvius non inventos esse cupit, quod ad incendium uti faces parati sint. Tamen satis videntur illo tempore pervulgati fuisse Romae, cum carere eis non possent, si summis cenaculis intergerivos ducere vellent, atque facillime et celerrime exstruere eos liceret. Ceterum dubitari non potest, quin inde a § 16 usque ad finem capitis Vitruvius ipse expertus loquatur, non fontes quosdam secutus.

Ad finem perveni huius capitis admodum ampli, quo totum fere opus Vitruvianum percensens omnia complecti studui quae interpretatione egere mihi videbantur, ut cognoscerem, an iam ante annum 31 scripta esse possent. Spero atque confido argumentatione mea probatum esse et in decem de architectura libris

203) cf. Jordan I p. 14 n. 4.
204) l. l. p. 34 sqq. cf. Blümner. l. l. II p. 20. n. 2.
205) cf. Blümner. III p. 151 sq.

haud pauca inesse, quae ante annum 31 scripta esse vel necesse vel verisimile sit, reliqua fere omnia illo tempore potuisse scribi quare haec quoque illo tempore revera scripta esse censeo. Quod si verum est, apparet Vitruvium totum fere opus suum ante a. 31 scripsisse; quae excipienda esse mihi persuasi, proximo capite tractabo.

Caput quartum.

De eis quae post annum 31 scripta sint necesse est.

Ac primum quidem in harum rerum numero habenda sunt ea quae Vitruvius de latericia structura exponit (cf. p. 63). Quod ut intellegas, paulo altius repetenda est quaestio. Verba Vitruvii, de quibus res est (p. 52, 12—28) ab omnibus tractata sunt, qui artem et leges aedificandi Romanas penitus cognoscere studuerunt atque de ratione et materia aedificiorum fusius disputaverunt; ad quos erit saepius provocandum.[1])

Postquam Romani in urbe aedificia lignea vel arundinea et stramentis tecta exstruere desierunt et ad solidiorem structuram lapideam et latericiam transierunt — primum hoc factum est in vico Tusco — atque in annos maior numerus hominum in urbe muro cincta consedit, statim opus erat legibus rationem et studium aedificandi coercere, id quod iam e XII tabularum fragmentis cognoscere licet.[2])

Cum vero Galli incendio totam fere urbem devastassent, „promiscue aedificari coepta est" (Liv. V 22), atque eo magis

---

1) Haubold opusc. II. exercitt. Vitruv. spec. I, II, III. Rein, Röm. Privatr. etc. p. 205 sqq. Karlowa l. l. II p. 514 sqq; Blümner l. l. II p. 12. Nissen, Landesk. II p. 518. Pöhlmann, Übervölkerung der antiken Großstädte. p. 73 sqq. 90 sqq. Voigt, S.-B. der sächs. Ges. d. Wiss. 1903 p. 174 sqq (Römische Baugesetze).

2) Schoell fr. p. 188. Varro de l. l. V 22. Vitruvius cum p. 7, 5 de ambitu stillicidiorum loquatur, nescio an Nisseni interpretatio accipienda sit, qui dicit (Pomp. Stud. p. 567 sq) ambitum antiquissimis temporibus aquae pluviali, quae de tecto stillabat, servivisse excipiendae, quamquam in contrarium disserit Mauius (Privatl. p. 218²), quem sequitur Liebenam „Städteverwaltung im röm. Kaiserreich" p. 417 n. 4.

novis opus erat legibus: illo tempore videtur vetitum esse „maiores crassitudines quam sesquipedales constitui[3]) loco communi" (Vitr. p. 52, 14 sq). Iam tum igitur mutationem factam esse cognoscimus, cum area ab urbis muris inclusa angustior esset quam ut nimiam multitudinem hominum et aedium privatarum capere posset.[4]) Etenim eo loco, quem ambitui duorum pedum et dimidii leges XII tabularum destinaverant, parietem communem constitui licuit nova lege; neque vero ea de causa ambitus iure esse desiit, sed is locus, quo paries ambitus vice exstruebatur, etiam postea „communis" habebatur veluti antea ambitus ipse.[5]) Quare recte Vitruvius dicit „loco communi." Lex igitur illa data est, ut spatio, quod intra muros aedificiis tegi poterat, parceretur. Atque quoad aedificia non plus unam contignationem habebant, lex illa ferri potuit. Sed postquam complura cenacula exstruere consueverunt (Liv. XXI 62, 3 [anno 218] de tribus loquitur) Romani propter crescentem numerum incolarum, saepe incendiis et ruinis perterriti sunt, qui in „insulis"[6]) habitabant. Quare cum inde ab altero dimidio saeculi a. u. c. sexti et civium et insularum numerus compluribus cenaculis sublatarum admodum cresceret, ex illo tempore magistratus, qui aedificationi praeerant, imprimis igitur consules, censores, aediles interdum cumulationi cenaculorum intercedere

---

3) Nissen, Pomp. Stud. p. 79. Landesk. p. 62. 518. Notabile est Plinii additamentum: „nec intergerivorum ratio patitur" (35, 172) cf. Plin. 11,23. Fest. 110, 21 M. L 1 D. X t. 4 § 10. (intergerivi — confines); Nissen P. St. p. 81. „es wäre irrationell, die Innenwände (intergerivi) dicker zu machen als die Außenwände". cf. p. 84.

4) cf. etiam Voigt. Ber. d. sächs. Gesellsch. d. Wiss. 1874 p. 196 sqq.

5) Karlowa l. l. p. 518. quod postea exponit utrique vicinorum licuisse parietem communem sesquipedalem exstruere collato loco Ciceronis (Top. 4, 24), rectius mihi Reinius l. l. videtur intellexisse locum Ciceronianum secutus Hauboldii interpretationem, quae etiam rebus ipsis comprobatur; et certe paries communis non potest nisi unus esse.

6) de illis enim cogitandum est, non de domibus privatis, quas aliter constructas esse supra vidimus p. 60; cf. O. Richter. Hermes XX p. 91 sq „insula das einzeln stehende Haus mit dem gesetzlich vorgeschriebenen ambitus; z. Z. des Verrius (Fest. p. 111 M) paßte die alte Definition der insula auf den vicus. Vitruv setzt insula u. vicus gleichbedeutend." Attilio de Marchi „Ricerche intorno alle ‚Insulae' o case a pigione di Roma antica" 1891. p. 21 cf. Hülsen. Röm. Mitt. 1892 VII p. 279 sqq.

coacti erant. Anno a. Chr. 133 M. Aemilius Porcina a L. Cassio accusatus crimine nimis sublime exstructae villae in Alsiensi agro gravi multa adfectus est, (Val. Max. VIII 1 damn. 7) atque Rutilius, consul anni a. Chr. 105, orationem habuit de modo aedificiorum. [7])

Sed ex his rebus nimium mihi collegisse videntur nonnulli viri docti, veluti M. Voigtius, cum dicit:[8]) „In der 2. Hälfte des 6. scl. erging ein Gesetz, welches den Hausbau mit paries diplinthius oder triplinthius überhaupt und so insbesondere den paries communis als gemeinsame Brandmauer unter Androhung einer im ädilicischen Multprozesse mit accusatio vor den Tributkomitien einzutreibenden Geldstrafe untersagte und damit indirekt die überlieferte Höhe des Wohnhauses mit dessen Beschränkung auf Erdgeschoß und contignatio im Maximum feststellte" atque alio loco[9]): „Übergang zu einer anderen Mauerkonstruktion, die das Aufsetzen weiterer Stockwerke ermöglichte, da sie jenem Verbote nicht unterfiel. Dies geschah unter Augustus" . . .

Primum enim omnino nescimus „legem" de modo aedificiorum latam esse; Suetonius enim de oratione tantum Rutili loquitur neque, si Porcina ille, quod in agro Alsiensi villam nimis sublime exstructam habebat, multa affectus est, hinc colligere licet in urbe de hac re „lege" actum esse. Neque Vitruvii (II 8, 17) neque Plinii (35, 172 sq) verba hanc interpretationem probant neque res ipsae; nam effectus, ut ita dicam, eius „legis" postero tempore conspicuus non est.

Nihil aliud affirmare licet nisi circa annum a. Chr. 100 a magistratibus monitum et interdum exemplo statuto deterritum esse, ne altius aedificia tollerentur.[10])

---

7) Suet. Aug. 89; cf. Meyer or. Rom. fr. p. 265. Recte Poehlmannus (l. l. p. 91. n. 2) dicit verba „de modo aedificiorum" secundum „legem de modo agri" conformata ad altitudinem aedificiorum pertinere neque in universum ad rationem aedificandi.

8) S.-B. der sächs. Ges. d. Wiss. 1903. p. 180.

9) Röm. Privataltert.² p. 452.

10) Recte igitur Reinius l. l.: über die Höhe der Häuser scheint es in republikanischer Zeit keine gesetzliche Beschränkung gegeben zu haben, obwohl Sitte und Herkommen ein gewisses Maß setzten.

Deinde vero minime verum est „lege" talia praecepta data esse qualia statuit Voigtius. Quis enim dicit hac „lege" pariete diplinthio vel triplinthio, nedum communi uti vetitum esse? Vitruvius nihil aliud affirmat nisi latericios parietes, si non diplinthii aut triplinthii sint, non plus unam contignationem sustinere posse, id quod ad aliam rem pertinere iam videbimus. Neque poenam illam, de qua Voigtius loquitur, lege sanctam esse colligere licet e Valerii narratione (p. 66). Communi autem pariete uti vetitum esse unde Voigtius sciat, prorsus me fugit.[11])

Ac postremo ex illius verbis concludere cogeris Romanis, ex quo illae „leges" promulgatae erant, non compluribus cenaculis aedificia exstruere licuisse usque ad Augusti tempora, h. e. dum a latericia structura ad novam transirent. Ne hoc quidem verum est; immo cum e Ciceronis quodam loco[12]) tum ex Vitruvii verborum accurata interpretatione illud apparet usque ad Augusti tempora aedificia complurium cenaculorum in parietibus latericiis sesquipedalibus exstructa esse. Latericia enim structura[13]) in aedificiis, imprimis insulis exstruendis plurimis Romani usi sunt usque ad Augustum, cum lapidibus et caementis in monumentis publicis iam diu, in splendidioribus et solidioribus domibus inde a Sullae aetate in dies magis uterentur. Neque melius sententiam meam pronuntiare possum quam Nisseni verba[14]) laudans: der ungebrannte Lehmziegel behauptet sich bis zu einem von Augustus erlassenen und kraftvoll durch-

11) Quare corrigenda sunt ea, quae nuperrime scripsit Voigtium secutus Paulus Werner „de incendiis Urbis Romae aetate imperatorum" diss. Lips. 1906 p. 48 sq.

12) de leg. agrar. II 35, 96: Romam cenaculis sublatam et suspensam"; scripsit hoc Cicero consul.

13) Varro apud Non. p. 48, 13: antiqui nostri domibus latericiis paululum modo lapidibus suffundatis . . . habitabant. — Dio 39, 61 testatur multa aedificia latere structa corruisse, cum anno 54 Tiberis urbem inundasset — Cic. de div. II 47, 99 (scriptum a. 44): in latere aut in caementis e quibus urbs effecta est. — Suet. Aug. 28 „marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset" (cf. Dio 56, 30). Quod non solum ad aedificia publica, sed etiam privata pertinere Nissenus rectissime statuit Hirtium (Geschichte der Baukunst bei den Alten II 310) secutus contra plerosque nostri aevi viros doctos Pomp. Stud. p. 25. n. 2. cf. Blümner. l. l. II p. 13. n. 1.

14) Landesk. II p. 518.

geführten Verbote im allgemeinen Gebrauch . . die alte Vorschrift, die als Dicke der gemeinsamen Wände eine Elle festsetzt, blieb für den entwickelten Hochbau in Kraft. Es klingt schier unglaublich und wird doch durch einen Fachmann (Vitr. II 8, 16 sq) verbürgt, daß auf 45 cm starken Grundmauern 5—6 Geschosse aufgetürmt wurden.

Ut igitur comprehendam, quae contra Voigtium imprimis statuo, nullam legem libera re publica latam esse contendo, qua altitudo aedificiorum praescriberetur, atque ea de causa Romanos latericiis parietibus usos sesquipedalibus complura cenacula cumulasse, dum Augustus propter crebras aedificiorum ruinas novam aedificandi rationem et structurae genus edictis institueret. Atque cum aliorum testimoniis tum Vitruvii verbis hoc comprobatur. Nam ratiocinatio eius, ut breviter repetam, haec fere est: secundum leges [quas paulo post incendium Gallicum latas esse verisimile est] paries communis ne crassior esto quam sesquipedalis; [huc usque legem antiquam reddi arbitror, cuius nihil aliud nisi spatio communi parci intererat; de latericiis solis structuris haec lex lata est, cum alia materia tum nondum uterentur in aedificiis privatis]; latericii vero si non diplinthii vel triplinthii, sed sesquipedales tantum sunt, non plus unam contignationem sustinere possunt. Atqui cum permultis habitationibus nobis opus sit et urbis spatium angustius, quam ut tantum aedificia unius contignationis (paucarum igitur habitationum) exstruamus, ideo in altum tollenda sunt aedificia. Ergo non latericiis parietibus, sed pilis tantum lapideis, structuris testaceis, parietibus caementiciis uti licet, quae complures contignationes ferre possunt, etsi sesquipedales sunt.

Conclusio igitur prorsus recta et dilucida est, atque, nisi fallor, in his ipsis verbis inde a „latericiis" argumentum edicti illius inest, quod Augustus Romanis proposuit, ut a laterum in aedificando usu eos deterreret et crebras aedificiorum ruinas cohiberet, quo novam aedificandi rationem eis commendavit.[15])

15) cf. Nissen Landesk. II p. 518. 529.

Atque si quaerimus, quo fere tempore Augustus hoc fecerit, primum tenendum est hoc non factum esse tum, cum edictum illud de altitudine aedificiorum [16]) constituit, quod recte vulgo conferre solent cum vigilum septem cohortibus anno p. Chr. 6 institutis. Immo manifestum est hoc multo prius factum esse; id etiam Voigtius recte vidit [17]); sed paulo audacius affirmavit anno p. Chr. 6 legem Iuliam de modo aedificiorum latam esse. Nam legem talem fuisse nusquam legimus. [18])

Ante pugnam Actiacam Augustum ad aedificandi in urbe rationem animum advertisse minus est verisimile; nam tum nimis erat occupatus in rebus externis constituendis atque nonnulla tantum aedificia publica incohavit (p. 16 sq). Quae anno a. Chr. 36 post bellum cum Sex. Pompeio feliciter gestum edixit (Dio 49, 16), ad publicam Italiae salutem a latronibus tutandam pertinebant. Sed bello cum Antonio prospere confecto atque rebus Aegyptiacis pacatis postquam Romam reversus anno a. Chr. 29 triumphavit, tum ad res domesticas cum alias tum ipsius urbis ordinandas summo studio properavit. Atque ut eis, qui et ante eum et post eum rei publicae praefuere, ita Augusto, dum ad gubernacula rei publicae sedet, nihil magis cordi fuisse inter omnes constat quam duas res, primum ut Romanos a vita caelibe et incesta deterreret atque ita eorum numerum iam tum decrescentem augeret, deinde ut vitam eorum intra ipsorum parietes a ruinis et incendiis defenderet. Quae duae res ut semper coniunctae a scriptoribus memorantur (cf. Suet. Aug. 89) ita eodem tempore in eis occupatus erat imperator. Atqui anno a. Chr. 29 censor factus est Augustus, penes quem et morum regimen et aedificiorum curam fuisse nemo ignorat. Atque hoc anno legem Iuliam de maritandis ordinibus aut praeparatam aut latam esse constat. [19]) Eodem autem anno et insequenti multa aedificia Augustus aut dedicavit

16) Strabo V 3, 7 p. 235. Gardth. l. l. II² p. 565⁸.
17) Röm. Privataltert.² p. 453.
18) Ex Strabonis verbis et Suetonii loco supra laudato (Aug. 89) nimis leviter hoc colligas. Ceterum cf. p. 66. n. 7.
19) Mommsen. S.-B. der Berl. Akad. 1889 p. 33.

aut incohavit (Dio 51, 22) et senatus decreto ei templa reficienda delata sunt (p. 20); ineunte anno 29 Dio (52, 2—40) Agrippam et Maecenatem orationes illas habentes atque hunc sic loquentem facit: *τὸ μὲν ἄστυ τοῦτο καὶ κατακόσμει πάσῃ πολυτελείᾳ καὶ ἐπιλάμπρυνε παντὶ εἴδει πανηγύρεων ... ἔπειτα δέ μητ' οἰκοδομημάτων πλήθεσιν ἢ μεγέθεσιν ὑπὲρ τἀναγκαῖα χρήσθωσαν.* Quarum orationum[20]) etsi et formam et argumentum, qualia nobis praesto sunt, Dio finxit, tamen oratio Maecenatis nonnulla exhibet ad fidem historiae conformata, in quibus illa ipsa verba numeranda esse compluribus de causis verisimile est. Quae omnia si comprehendo vix dubium mihi videtur esse, quin illud quoque edictum de aedificandi ratione annis 29 vel 28 propositum sit. Post igitur illud tempus Vitruvium scripsisse non totum caput de structurarum generibus, sed § 16—18 statuo, neque vero ita multo post, cum opus suum primo quoque tempore (p. 1, 15 sq) edidisse credendus sit (p. 14) Illud quoque tenendum est effectum talium edictorum semper admodum celeriter conspicuum fieri.[21])

Sed haec hactenus; plura enim dicere nunc nondum convenit; quare transeo ad aliud quoddam, quod Vitruvium post a. 31 scripsisse apparet, sc. ad basilicam cum aede Augusti coniunctam, cum et basilicam aedificatam esse et Vitruvium de ea scripsisse pateat post annum 27, quo Octavianus Augusti nomen accepit. In illa autem aede duabus de causis quondam Krohnius[22]) secutus Ussingium offendit: statuit enim primum lectionem „aedis Augusti“ (p. 107, 3) mendosam esse, quia in codice Scletstatensi nuper reperto legitur „aedis angusti“; deinde vero Romanos Augusto viventi templa aedificare vetitos esse. Quorum neutrum mihi probatur. Etenim et corruptela illa, si modo est, unde manaverit, facile intellegitur neque rectum est

---

20) cf. Hoeck. Röm. Gesch. I[1] p. 318 n. Die Reden sind Erzeugnisse der Rhetorik Dio's und voll psychologischer und historischer Fehler; die letztere aber von großem Wert für Geschichte.

21) Friedlaender. Sittengesch. I[6] p. 5 sqq.

22) l. l. col. 781.

Augustum edicto vetuisse templa sibi constitui.[23]) Immo semper permisit, ut sibi viventi et in provinciis et in ipsa Italia divini honores tribuerentur Roma sola excepta; omnes vero civitates, in quibus sacerdotes vel fana Augusti primum instituta sunt, mari adiacuisse[24]) licet observare aut colonias ab eo deductas vel in praecipua eius tutela ac fide fuisse.[25]) Quare dubitandum non est quin Fani Fortunae aedes exstiterit Augusti,[26]) quam, cum Vitruvium non ita multo post a. 31 libros edidisse mihi persuasum sit (p. 70), brevi post a. 27 una cum basilica exstructam esse arbitror. Neque vero in eo offendamus, quod basilica cum aede coniuncta fuerit, cum idem in basilica Augusti Anniana factum esse constet.[27]) Brevi autem post a. 27 basilicam exstructam esse vel inde colligas, quod „pilas altas pedes III" (p. 107, 15 in ea Vitruvius disposuit, quae ab architectis florentis imperii spretae sunt sed occurrunt in monumentis antiquioribus aetatis Augusti veluti Augustae Praetoriae in arcu Augusti anno a. Chr. 24 exstructo.[28]) Eodem igitur fere tempore basilicam Fanestrem a Vitruvio factam esse licet suspicari neque multo post eum decem de architectura libros edendos curasse. Etenim si consideramus totam illam partem libri quinti (1, 6—10) nihil aliud nisi descriptionem basilicae a Vitruvio constitutae continere et praecedenti capiti (§ 1—5), quo de basilicis in universum ab eo disputatur, quasi agglutinatam esse, nescio an iure statuamus ipsam illam partem Vitruvium postea, antequam Augusto opus suum mitteret, addidisse,[29]) ne rem praetermitteret, cuius mentionem fecisse ipsius maxime interérat, quia cum et aedificium a se constructum memorabat et Augusti aedem alibi non memoratam, et ipse sibi et Augusto

23) cf. O. Hirschfeld. S.-B. der Berl. Akad. 1888 p. 838 sqq. Gardth. I[1] p. 467 sq. I[2] p. 252 sq. De Dione (51, 20) et Suet. Aug. 52 cf. Mommsen Staatsr. II[3] p. 757 n. — 24) Gardth. l. l. — 25) Hirschfeld l. l.

26) Neque id accipiam, quod Tannery (Revue de philol. 1897 p. 125) probavit pro „aedis Augusti" scribendum esse „aedis Romae et Augusti".

27) P-W. III c. 92 (Mau).

28) Studniczka. Tropaeum Traiani. p. 34.

29) prosopogr. imp. Rom. III p. 457 nr. 526 „locus ille postea additus sit necesse est"

gratificaretur (cf. p. 6). Atque idem cadit in illas duas paragraphos, quibus de structura latericia agit (p. 52, 6—53, 3), quas easdem postea insertas esse apparet; disputavit enim antea de opere latericio (p. 49, 1 sqq) atque argumentationem nonnullis exemplis illustravit; postquam vero a proposito quasi aberrans longam et lepidam de Artemisio et Rhodiis fabulam narravit, cum exspectemus eum ad aliquid novi transiturum esse, sc. ad opus testaceum illo tempore nondum pervulgatum, de quo dicit § 18 et 19 (p. 53, 4—20), subito redit ad opus latericium, de quo iam satis multa audivimus; neque rationem latericii operis exponit, sicut antea de ratione aliarum structurarum accurate egit — quod si fecisset, minus offenderem — sed exponit, quid ita a populo Romano in urbe fieri id genus non oporteat. Manifestum est eum haec, quae antea scripserat de latericia structura, non potuisse immutata edere, postquam Augustus edictum illud, de quo supra (p. 68 sq) egi, proposuit, sed opus erat de eo pauca addere, ne imperatorem, cui opus suum missurus erat, laederet neglecta ea ipsa re, quam sequi Romanos, quorum usui destinati erant libri de architectura, Augusti maximopere intererat.

Sed quae de basilica Fani exstructa et de legibus aedificiorum publicis leguntur cur Vitruvius libris suis posteaquam scripsit inserenda censuerit, cum probabilem in modum me explicasse sperem, multo difficilior est explicatu tertia quaedam res, de qua nunc agere convenit.

Etenim aedem Quirini Doricam (cf. p. 27; Vitr. p. 70, 5; p. 179, 12) dedicatam anno a. Chr. 293 a. L. Papirio Cursore (Liv. X 46) Quirinalibus, h. e. a. d. XIII Kal. Mart. (C. I. L. I² p. 310; Ovid. fast. II 511) incendio anni a. Chr. 49, quamquam Dio dicit (41, 14): „*πῦρ δὲ . . . καὶ τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν κατέφλεξεν*“, tamen non totam, sed aliqua ex parte sola deletam [30]) et statim restitutam esse inde colligi potest, quod idem

30) Tenendum est, id quod Beckerus monet (l. l. p. 571 n. 1207) interdum, cum aedificium quodlibet flammis correptum esse traderetur, non totum aedificium, sed partem tantum deletam esse.

Dio paulo post tradit anno 46 statuam Caesaris in Quirini templo verbis „deo invicto“ inscriptis positam esse (43, 45), ad quod factum referenda sunt verba Ciceronis de Caesare ut *συννάῳ* et contubernali Quirini facta.[31]) Quare causa, qua commotus Hirtius quondam argumentatus erat (cf. p. 5. 11) Vitruvium post annum demum 16, quo aedes ab Augusto refecta denuo dedicata est, scripsisse, stare non iam potest.

Tamen quaestio oritur, ad quodnam templum Vitruvii verba referenda sint, utrum ad vetustum Papirianum an ad Augusti aedificium recentius, de quo Dio dicit (54, 19): *πρὶν δὲ ἢ ἀφορμᾶσθαι, τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν καθιέρωσεν ἐκ καινῆς οἰκοδομήσας· εἶπον δὲ τοῦτο ὅτι ἕξ καὶ ἑβδομήκοντα κίοσιν αὐτὸν ἐκόσμησεν ὅσαπερ τὰ πάντα ἔτη διεβίω, κἀκ τούτου λόγον τισὶ παρέσχεν ὡς καὶ ἐξεπίτηδες αὐτὸ ἀλλ' οὐ κατὰ τύχην ἄλλως πράξας.* Hoc statuere debent, quicunque Hirtii sententiam probant, atque stabilitur horum opinio eo, quod cum Vitruvii verbis „dipteros autem octastylos et pronao et postico, sed circa aedem duplices habet ordines columnarum, uti est aedis Quirini dorica“ e. q. s. (p. 70, 2—5) optime conferri potest locus ille Dionis, qui ipse quoque de diptero octastylo loquitur.[32])

Wissowa quoque ad novam aedem Vitruvii verba refert cum dicit[33]) post 49 eam leviter et ad tempus refectam esse; quod si rectum esset neque de solida restitutione statim facta cogitari posset, non dubitarem, quin Vitruvii verba ad novam solam aedem referenda essent, non ad hoc aedificium ad tempus aegre restitutum. Neque vero omnino hoc probabile mihi videtur; nam statua Caesaris imperatoris, cui inscriptum erat „deo invicto“, non potuit in tali aedificio collocari, sed sine dubio posita erat in aede integra atque magnificentia et splendore eminenti, qualem fuisse ornatu spoliorum hostilium aedem Papirianam licet coniectare (Liv. X 46).

31) Ad Att. XII 45: eum [Caesarem] *σύνναον* Quirini malo quam Salutis. XIII 28, 3: tu hunc de pompa Quirini contubernalem his nostris moderatis epistulis laetaturum putas?

32) cf. Becker. p. 572 sq.

33) Ges. Abh. 1904 „Der Tempel des Quirinus“ p. 144 sqq.

Quae cum ita sint et Dionis verba non semper nimis esse premenda supra viderimus, nihil videtur obstare, quin Vitruvii locum ad Papirianum templum referamus atque Dionis de novo templo verba cum Degeringio[34]) (cf. p. 9) ita intellegamus, ut iam illud dipterum fuisse septuaginta sex columnarum atque Augustum fundamento, forma, spatii dispositione integris servatis exteriores partes aedificii, crustas, columnas, fastigia, similia, quae sine dubio ex tofo exstructa erant, e marmore faciendas atque sic eam aedem magnificentius et lautius quam antea fuit excolendam curavisse iudicemus.

Quae sententia cum argumentationi meae optime conveniat, tamen Studniczka me monet abhorrere eam ab architecturae Romanorum scientia, qualem consecuti sumus ex ipsorum monumentorum, quae ad nos pervenere, accurata cognitione; etenim postquam Romani priore tertii a. Chr. saeculi dimidio Magnae quae dicitur Graeciae urbes sub potestatem suam redegerunt, ex illo demum tempore architecturam Graecam accuratius cognoverunt et in templis quoque aedificandis imitari studuerunt; atque ex templorum reliquiis, quae adhuc servatae et tertio a. Chr. saeculo exeunti vel alteri ineunti tribuendae sunt, imprimis eos usos esse apparet illo tempore peripteri schemate coniuncto interdum cum forma, qua antea templa exstruxerant, tuscanica.[35]) Sed dipteri forma multo splendidiore et sumptuosiore[36]) eos iam ineunte tertio a. Chr. saeculo usos esse vix poterit probari, cum neque divitiis urbs illo tempore tantopere abundaret, ut certare posset cum ditissimis Asiae urbibus, in quibus fere solis antiquioribus temporibus dipteros quae vocantur aedes exstructas esse constat,[36]) neque omnino cognitionem eius formae iam tum ad Romanos pervenisse verisimile sit. Quare in eo acquiescendum erit, ut Vitruvii verba ad novam Augusti aedem referenda esse concedamus.

Quae cum ita sint, quaeritur, quomodo conveniant cum tempore, quo adhuc argumentis, ut spero, haud spernendis

34) P-W. V c. 1162 s. v. dipteros.
35) Delbrück. Die 3 Tempel am for. hol. p. 41 sqq. — 36) Degering l. l.

Vitruvium probavimus scripsisse libros de architectura exceptis duobus locis, qui cur postea adderentur, probabiliter explicare licuit. In aede autem Quirini, cum causa addendi non ita dilucida sit, dixerit fortasse quispiam huius solius loci ratione habita aut in Hirtii illa sententia perseverandum esse aut certe Vitruvium, quamquam non ipse scripserit ante a. 31, sed eo fere tempore, quo Hirtius statuit, tamen talibus usum esse fontibus, qui ante a. 31 compositi sint; unde facile explicari posse, cur architectus, qui postquam munere se abdicavit, certe non in ipsa urbe, sed in aliquo Italiae oppidulo scripserit, tantas et tam multas res, quae post pugnam Actiacam Romae exstiterint, silentio transierit, quippe quas in fontibus suis non descriptas inveniret; nonnulla tantum, quae posterioris temporis indicium exhibeant, inserenda eum censuisse tum, cum occasione oblata aliquando urbem viseret et quaedam, quae notabilia ei visa sunt, annotaret.

Quorum tamen neutrum mihi probatur; immo hac una re argumentatio nostra, quae tot tamque gravibus testimoniis nititur, infirmari minime potest; quid quod Vitruvius paulo antequam aedem Quirini memorat, de templo in porticu Metelli Iovis Statoris verba fecit, quae scripta esse debere ante a. 33 supra demonstravimus? Quare facere non possum, quin hanc quoque aedis Quirini brevem descriptionem postea insertam esse statuam quadam de causa, quam non iam posse indicari nequaquam mirabimur, cum talia fere nusquam tam perspicua sint, ut, quomodo opus, quale nos manibus tenemus, ex commentariis et congerie excerptorum aliis temporibus aliis de causis factorum concreverit et quae fata iam sub auctoris manibus expertum sit, prorsus cognoscamus.[37] Quare satis habemus intellegere, quo quid tempore scriptum esse videatur neque temere, si res non tam simplex est quam exspectamus, ne falsa via progressi simus, verebimur.

---

37) Quod aede Quirini Romanis primum dipteri genus innotuisset, ideo posse Vitruvium eam postea addidisse Studniczka probabiliter coniecit.

Quodsi additamentum in his Vitruvii verbis inesse putamus minime tamen opus est credere ea post annum demum 16 scripta esse; immo cum recte Mommsenus[38]) observaverit posse novam aedem aliquot annis ante a. 16 incohatam esse vetusta aede diruta, ut nova eodem solo fieret — memineris vero anno a. Chr. 28 Augusto templa reficienda delata esse (cf. p. 20) — et Vitruvius nil nisi formam et ordinem templi spectet, quae conspicua esse poterant iam paulo postquam nova aedes exstrui coepta est, nihil videtur obstare, quin statuamus eo tempore, quod aliis quoque indiciis probatur (cf. p. 70 sq) sc. c. annum 24 haec iam potuisse scribi a Vitruvio; posteriori enim tempori ne editionem librorum de architectura tribuam, impedior ipsius Vitruvii verbis (p. 1, 15 sq „non putavi praetermittendum quin primo quoque tempore de his rebus ea tibi ederem" cf. diss. p. 14), quamquam quo tempore libri editi sint, minime tantum nostra interest accuratius cognosse quantum quo tempore scripti sint.

Etsi enim Vitruvium quaedam libris posteaquam scripsit, inseruisse concessimus, cave tamen credas eum omnino libros antequam ederet accurate retractavisse, ut quasi nova et emendata editio in lucem prodiret; immo illa additamenta singularia sunt et cetera omnia nobis persuadent eum libros tales edidisse quales primo scripserat praefationibus solis exceptis. Etenim cum manifestum sit praefationem primi libri scriptam esse post a. 31, immo paulo antequam libri editi sunt, libri noni praefationem scriptam videri post Varronis mortem anno 27 Lachmanno[39]) concedendum est. Quod si de duabus constat, de omnibus statuendum esse censeo eas operi iam perfecto paulo antequam in lucem prodiret, insertas esse, quippe quae quasi extra reliquam disputationem positae et argumento et stilo artius inter se cohaereant. (p. 11 sq).

Sed excepta aede Quirini quaecunque Vitruvius aedificia Romae exstantia commemorat, libera re publica sunt constituta — quod iam Hirtius et Ussingius animadverterunt, sed suo uterque

38) C. I. L. I² p. 310.
39) Rhein. Mus. VI 1839 p. 107 cf. p. 7 huius dissert.

more interpretatus est — neque ullum affert aedificium imperatore Augusto factum, nisi iam nonnullis antequam ille principatum obtineret, annis incohatum erat. At si post a. 31 libros retractavisset, eum omnia ea aedificia vel aedificiorum genera, quae sequentibus annis multa et magnifica Romae exstructa sunt, silentio neglegere non potuisse mihi concedes; quare certum mihi videtur esse eum nescio qua causa commotum libros suos non diligenter retractavisse, sed pauca tantum addidisse.

Ut igitur comprehendam, quid hoc quaestionum Vitruvianarum specimine probasse mihi videar, Vitruvium statuo decem de architectura libros ante pugnam Actiacam scripsisse, postea circa annum 24 praefationibus et additamentis quibusdam, e quibus tria cognoscere nobis licet, auctos, ceterum immutatos edidisse.

Quod si cui parum simplex ideoque parum probabile videtur, meminerit ea, quae supra (p. 75) exposui. Neque vero iam ad finem pervenimus; restat enim, ut pauca addamus de ratione, quae intercedit inter Vitruvium et auctores quosdam, quos ei fontes exstitisse viri docti nonnulli asseveraverunt; nam si omnes eorum coniecturae accipiendae essent, ea, quae supra posuimus, stare non possent.

Ac primum quidem Varronem Vitruvio amplam materiam praebuisse plus semel in hac dissertatione et dictum et testimoniis confirmatum est. Quodsi recte ratiocinatus esset Ritschelius[40]) librum octavum disciplinarum (de medicina) compositum esse anno a. Chr. 33 (cf. Plin. 29, 65: „cunctarer in proferendo ex iis remedio, ni M. Varro LXXXIII vitae anno prodidisset) sextum (de astrologia) anno 28, omnis nostra argumentatio labefieret, cum Vitruvium libro nono (de architectura) usum esse constet, qui eidem fere tempori tribuendus esset. Sed et illam firmiorem esse confido quam ut hoc argumento satis incerto corruere possit et argumentum omnino caducum est, cum

---

40) opusc. III p. 400.

librum disciplinarum sextum iam antequam Caesar fastos corrigeret scriptum esse admodum sit verisimile,[41]) et scribam codicis Pliniani facile decem annis errare potuisse appareat. Quare si statuimus librum nonum disciplinarum circa a. fere 40 compositum esse, optime haec ratio convenit cum tempore, quo Vitruvium scripsisse probamus, qui illo libro nuperrime edito largiter usus est.

Deinde quidam observavisse sibi visi sunt Vitruvium in praefatione libri primi, cum imperatorem alloquitur et praedicat, imitatum esse Horatii quendam sermonem.[42]) Ille cum scriptus sit anno a. Chr. 14,[43]) post hunc annum eam praefationem scriptam esse necesse esset statuere. Neque vero causa est, cur Vitruvium imitatum esse Horatium dicamus; nam si quaedam similitudo verborum inter ambos intercedit, hanc rei similitudine satis explicari arbitror.

Denique Oderus magna cum fiducia contendit[44]) Vitruvium quae de origine et cursu Nili dicit (p. 190, 17—191, 13) hausisse ex Iubae alterius, regis Numidiae, Libycis, quae scripta sunt intra annos a. Chr. 25 et 20; etenim quae apud Vitruvium leguntur, similiter, sed copiosius enarrat Plinius (5, 51 sqq) Iuba auctore. Etsi vero res probabilitatis speciem prae se ferre videtur, tamen alia quoque praesto est via, qua rem probabiliter explicemus. Scilicet cum inter Vitruvium et Plinium vel Iubam minime omnibus in rebus conveniat, communis quidam fons statuendus est, praesertim cum de utriusque fontibus certiores fiamus; Vitruvius enim dicit se secutum esse orbis terrarum descriptiones, Iubam traditur[45]) Punicis libris usum esse. Atque si certum quoddam nomen ut nuncupem flagitas, Agrippam laudaverim. Illum enim constat de Aegypto et Atlante scrip-

41) Gruppe „Hermes" XI zum sogen. Manilius p. 239.
42) epist. II 1, 1 sqq. cf. p. 12. Teuffel-Schwabe hist. litt. Rom. § 264¹.
43) A. Kiessling-Heinze Hor. epist.² p. 165.
44) Philol. Supplem. VII p. 354 sqq.
45) Ammian. XXII 15, 8; Solin. 24, 15 p. 110 M. 32, 2 p. 138 M.

sisse[46]) et eandem sententiam probasse,[47]) quam et Vitruvius et Iuba pronuntiant — magnam autem de Nili cursu apud veteres fuisse sententiarum diversitatem nemo nescit — et Agrippae descriptionem orbis terrarum pro certo habemus profectam esse ab India,[48]) ut similitudo quaedam intercedat inter eum et Vitruvium, qui ipse quoque ab India proficiscitur (p. 190, 13). Quamquam minime contendo Vitruvium eo libro usum esse, quem postea Augustus edidit ex generi commentariis conscriptum, quippe cui rei iam temporum ratio obstet[49]), tamen vel ex commentariis quibusdam eius vel cum ipso collocutus vel alio modo doctrinam eius potest cognovisse. Sed utut est, certe Oderi coniectura minime tam probata mihi est, ut novum quoddam additamentum — nam hoc solo modo res explicanda esset — statuere et editionem librorum Vitruvianorum tam serae aetati tribuere cogar.

46) Riese „Geogr. Lat. min.“ p. VII sqq. XII.
47) Kubitschek, Wien. Stud. VII p. 292. Partsch „Die Darstellung Europas im geogr. Werke des Agrippa“ p. 12. Berger, Gesch. d. wissensch. Erdkunde b. d. Griechen.[2] 1903 p. 134. n. 1.
48) Müllenhoff „Hermes“ IX p. 186[2].
49) Schweder „Philologus“ 56 (1897) p. 160.

I.

TABULA ARGUMENTI.

II.

INDEX HOMINUM, LOCORUM, RERUM.


Errata typographica.


p. 8, 3 lege: eandem.
p. 14, 6 lege: omnium curam . . .
p. 28, 3 lege: Atheniense.
p. 52, n. 157 lege: Cic. de leg. agr.
p. 61, 28 lege: nonnulli.

VITA.

Gualdemarus Dietrich patre Conrado Godofredo matre Elisabeth e gente Eichler natus sum Lipsiae a. d. VIII. Id. Ian. anni proximi saeculi LXXXII; fidei addictus sum Lutheri evangelicae. Paucis post ortum meum mensibus pater, qui tum in schola Thomana praeceptoris munere fungebatur, Misniam domicilium transtulit, quo arcessitus erat, ut in illustrissima schola regia Afrana magistri munus profiteretur, quod etiamnunc exerçet. In huius novae patriae ludo litteris elementariis institutus per tres annos progymnasium frequentavi et anno s. pr. LXXXXV in scholam Afranam rectore Hermanno Peter receptus sum, cuius per sex annos fui alumnus extraneus. Maturitatis testimonium assecutus sum praeside Hermanno Peter, qui pro sua doctrina et humanitate cum per sexennium illud tum postea mihi fautor exstitit benevolentissimus, cuius rei semper piam gratissimamque memoriam servabo. Lipsiae postquam unius anni stipendia merui in legione CVII, Bonnam me contuli studiis philologicis operam navaturus, quorum desiderium iam pater carissimus puero excitaverat. Docuerunt me per tria semestria viri doctissimi Brinkmann, Buecheler, Clemen, Elter, Jaeger, Litzmann, Loeschcke, Nissen, Radermacher, Solmsen, Usener (†), Wentscher. Proseminarii per semestre exstiti sodalis Buechelero praeside; seminarium Nisseni historicum item per sex menses frequentavi, atque illi et Buechelero gratias habeo maximas quod mihi se liberales et benevolos praebuerunt. Lipsiam reversum me docuerunt vel docent clarissimi viri de Bahder, Brandenburg, Brugmann, Hofmann, Immisch, Jungmann, Lamprecht, Lipsius, Marx, Seeliger, Sievers, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth (†) Wundt. Eximia Lipsii, Marxii, Wachsmuthii benignitate in seminarium philologum receptus sum, cui per tria semestria interfui, per tertium senior. Wachsmuthii seminarium historicum per sex menses frequentavi atque proseminarii historici sodalibus postquam per semestre adscriptus fui, ad historicum seminarium mihi benigne aditum patefecerunt Lamprecht et Seeliger, quorum hic nunc tertium me semestre exercet. Denique exercitationibus archaeologis et metricis, quas instituerunt Studniczka et Marx, per semestre interfui.

Quibus praeceptoribus omnibus gratias habeo quam maximas; imprimis viros clarissimos cum Marxium, Studniczkam, Wachsmuthium, quem praematura morte nobis abreptum esse dolemus, tum Lipsium pio animo semper colam.


3 2044 050 646 223


MAY 29 '52 H

